



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio V. Vtrum præscindatur per rationem simpliciter à differentiis ens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

rem, & ad probationem illius concedo maiorem supposita præcisione simpliciter; nam ut optime advertit Hur. *disp. 9. metaphysica, sectio 2. §. 23.* divisio prædicamentorum non est lydio lapide examinanda, sed rudi Minerva, quia Doctores, qui illam intendunt probare, nunquam consequuntur intentum ratione aliqua à priori, sed solum nixi autoritate, & à posteriori quatenus intendunt solvere argumenta contraria, ut aperte fateatur eximius noster Doctor *disp. 39. metaphysica, sect. 2. num. 17.* ex hoc autem non negamus dari illagenera distincta entium in quæ constituunt prædicamenta: sed dicimus quod ex suppositione, quod præscindatur simpliciter ratio entis potest dari aliqua ratio generica sub qua collocentur omnia prædicamenta propter rationes, quas posuimus. Nec inde sequitur quod ratio entis sit generica respectu Dei, quia ratio entis respectu Dei est transcendens. Cum enim in Deo omnia prædicata sint completa, sit ut ratio entis etiam completa transcendat omnes differentias illius, & per consequens non sit genus respectu Dei, quia genus debet esse extra rationem differentiarum, ex quo sequitur quod neque ponatur Deus in prædicamento. Ad confirmationem negatur antecedens, quia ut optime advertit Hurtadus non omnes Physici dicunt dependentiam causare analogiam, cum ipsi, & alij multi contra dictum asserant.

- 122 Ad sextum distinguo maiorem, non daretur propria analogia, hoc est per formam intrinsecam in utroque extremo concedo maiorem, non daretur propria in quantum distinguitur ab analogia mere metaphorica nego maiorem, ut constat ex primo advertendo, & ideo Aristoteles quoties agit de analogia asserit pro exemplo sanum.
- 123 Ex his colliges, quod proportionalitas præcise considerata nullo modo causat analogiam, & ratio est manifesta quia si proportionalitas causaret analogiam, ubique daretur proportionalitas, daretur analogia: sed non datur analogia ubique datur proportionalitas præcise considerata: ergo proportionalitas præcise considerata non causat analogiam. Maior est evidens, quia si semel constitueretur quod proportionalitas habet virtutem ad causandam veram analogiam, non potest assignari ratio quare aliquando causet analogiam, & aliquando non, cum sit causa omnino necessaria, & non libera. Probatur minor, hæc proportionalitas invenitur in terminis univocis, quia sicut se habet homo ad suum animal, ita similiter se habet equus ad suum animal, sed equus, & homo in ratione animalis sunt univoci: ergo proportionalitas potest dari in terminis univocis, & per consequens sine analogia. Proportionalitas vero, quæ causat analogiam est solum illa, quæ est per formam intrinsecam in principali analogato, & extrinsecam in minus principali significatam per unum hominem, ut risus comparatione hominis, & prati, quia sicut se habet verus hominis risus ad ostendendam eius læticiam, ita floriditas prati ad ostendendum illius amœnitatem, & ideo dicitur risus.

QVÆSTIO V.

Virum præscindatur per rationem simpliciter à differentiis ens.

SECTIO I.

Sententia adversaria proponitur.

PATER Gabriel Vasquez 1. parte *disput. 22. num. 6. & disputat. 114. num. 5. & 6.* P. Fonseca 2. tom. *metaphysica, cap. 2. lib. 4. quest. 2. sect. 4. de conceptu obiectivo entis.* Pater Herizze, 1. part. *tract. 4. disp. 43. cap. 2. num. 21.* Rubius & Smiglesius in *Logica tract. de analogia entis* & communiter Thomistæ firmissime asserunt nullo modo posse simpliciter præscindi rationem entis à differentiis inferiorum.

Probatur primo ex Aristotele 10. *metaphysica, tex. 8.* dicente ens significare decem prædicamenta, & alibi dicente ipsum ens dici de omnibus generibus seu prædicamentis, non tamen similiter; ex quibus colligitur in sententia Aristotelis ens neque esse unum simpliciter, nec præcise ab inferioribus.

Secundo probatur ratione, quia ratio transcendens non potest præscindi à suis inferioribus: sed ens est transcendens: ergo non potest præscindi à suis inferioribus. Probatur maior, illud præscinditur ab alio quod post præcisionem non remanet in illo à quo præscinditur, sicut ideo animal præscinditur à rationali, quia post præcisionem non remanet in rationali, sed conceptus transcendens semper remanet in differentiis: ergo non præscinditur ab illis: probatur minor quodmodocumque præscindatur ens à perfectitate perfectitas includit essentialiter ens, quia perfectitas essentialiter est ens, non enim est nihil ergo conceptus transcendens post præcisionem remanet in differentiis, ergo non præscinditur simpliciter.

Confirmatur primo, ens non potest præscindi ab ente, alias idem à se formaliter posset separari; sed modi sunt formaliter ens: ergo non potest ens præscindi ab illis.

Confirmatur secundo, implicat præscindi aliquid ab alio cum quo secundum rationem manet coniunctum: sed ens etiam secundum rationem manet coniunctum cum suis differentiis, quia illæ sunt essentialiter ens: ergo implicat, quod ab illis præscindatur simpliciter ens. Probatur maior, implicat aliquid separari ab alio eodem modo quo manet cum illo coniunctum, sed ens manet coniunctum per rationem cum differentiis perfectitatis, & inaleitatis: ergo implicat separari ab illis per rationem. Maior est evidens, ideo implicat animal separari realiter à suis differentiis, quia realiter est coniunctum cum illis: ergo implicat aliquid separari ab alio eo modo quo est cum illo coniunctum.

Confirmatur tertio, omnis conceptus importans rationem abstractam simpliciter est extra differentias à quibus abstrahitur: sed conceptus entis non est extra differentias à quibus abstrahitur: ergo non est simpliciter abstractus.

Tertio

7. Tercio si ens præscinderetur ab inferioribus, sequeretur processus in infinitum: sed hoc implicat: ergo non præscinditur. Probatur maior, de quacunque ratione à qua præscinditur ens verificatur quod sit ens: ergo remanet in illa ratio entis: ergo iterum potest præscindij, & sic vsque in infinitum.

8. Quarto omnis ratio inferior à qua aliqua ratio superior est simpliciter præscindibilis est resolvable in duos conceptus: sed perfectas non est resolvable in duos conceptus, quia est maxime simplex, & incomposita: ergo ratio entis non est simpliciter præscindibilis a perfectitate, & inalienitate.

9. Quinto non potest præscindi ratio sapientie ut sic à creatura, & increata sapientia: ergo nec ratio entis à creatura, & increato ente. Consequentia est evidens, quia eodem modo se habet ens ad creatum, & increatum sicut se habet sapientia ad creatam, & increatam, & omnes rationes quæ probant ens posse præscindi à creatura, & increato probant etiam posse præscindi sapientiam ut sic, & alias perfectiones à creatis, & increatis, ut consideranti facile patebit: probatur antecedens, vel sapientia ut sic præscinda distinguitur realiter à iustitia ut sic, & à subiecto vel quasi subiecto illius, vel distinguitur solum per rationem vel distinguitur distinctione ne præscindenti à distinctione reali, & rationis vel utraque distinctione simul: sed nulla ex his distinctionibus potest distingui sapientia ut sic à iustitia ut sic: ergo sapientia ut sic non præscinditur simpliciter. Maior procedit à sufficienti enumeratione distinctionum, quibus vnus conceptus potest distingui ab alio: probatur minor.

10. Et imprimis non distinguitur realiter, quia si sapientia ut sic distingueretur realiter à iustitia ut sic, omnis sapientia distingueretur realiter ab omni iustitia, tum quia infinita æquivaleret vniuersali, tum denique quia quicquid conuenit rationi superiori, &c. sed hoc est falsum, quia sapientia diuina non distinguitur realiter à iustitia diuina secundum fidem, nec potest distingui solum per rationem, quia alias omnis etiam sapientia distingueretur solum per rationem ab omni iustitia: sed hoc est falsum, quia iustitia creata distinguitur realiter, & à sapientia creata, & ab increata: ergo sapientia ut sic non distinguitur solum per rationem à iustitia ut sic.

11. Nec distinguitur distinctione præscindente à distinctione reali, & rationis, quia implicat præscindi rationem communem distinctionis à distinctione reali, & rationis, sicut implicat præscindi conceptum entis communis ab ente reali, & rationis: ergo sapientia ut sic non distinguitur à iustitia ut sic distinctione præscindente à distinctione reali, & rationis, nec potest distingui sapientia ut sic à iustitia ut sic utroque genere distinctionis scilicet realis, & rationis, quia omnis iustitia, & omnis sapientia eodem modo distinguerentur, quod absurdum est nam sapientia diuina non utraque sed solum per rationem distinguitur à iustitia diuina, & sapientia creata solum realiter distinguitur à iustitia creata, & increata: ergo sapientia ut sic nullo modo potest distingui à iustitia ut sic, quod autem sapientia ut sic debeat distingui à iustitia ut sic est manifestum, quia omnem conceptum realem necessario sequitur vnitas, & distinctio: sed sapientia

ut sic est conceptus realis: ergo illam sequitur vnitas & distinctio: præterea sapientia ut sic non est iustitia ut sic, quia si sapientia ut sic esset iustitia ut sic, omnis sapientia esset iustitia quod absurdissimum est: ergo sapientia ut sic debet distingui à iustitia ut sic, si est possibilis talis conceptus præcisus.

Sexto ex vi illius conceptus præcisi concipitur ratio perfectas, & inalienatis: ergo non est simpliciter præcisus. Probatur antecedens, ex vi illius conceptus concipitur tota ratio entis: sed tota ratio entis essentialiter dicit perfectitatem, & inalienitatem: ergo ex vi illius conceptus percipitur perfectitas & inalienitas. Probatur maior, ex vi illius conceptus concipitur ratio in qua conueniunt omnia inferiora: sed omnia inferiora conueniunt in tota ratione entis: ergo ex vi illius conceptus concipitur tota ratio entis. Probatur minor, si non conuenirent in tota ratione entis daretur aliqua ratio entis in qua non conuenirent: sed implicat quod datur aliqua ratio entis in qua non conueniant inferiora, quia non est maior ratio quare conueniant in vna, & non in alia sicut homo & equus conueniunt in tota ratione animalis: ergo substantia, & accedens conueniunt in tota ratione entis: ergo præscinditur tota ratio entis. Patet vltima consequentia, illud præscinditur in quo conueniunt inferiora formaliter & per se: sed substantia, & accedens conueniunt formaliter, & per se in tota ratione entis: ergo abstrahitur tota ratio entis, sed tota ratio entis dicit essentialiter perfectitatem, & inalienitatem: ergo præscinditur perfectitas & inalienitas. Probatur antecedens, perfectitas essentialiter est ens, & etiam inalienitas: ergo ens essentialiter dicit perfectitatem & inalienitatem.

Septimo, si præscinderetur conceptus ille entis esset absolutus: ergo non potest præscindij consequentia est evidens primo, quia ille conceptus præcisi prædicaretur de relationibus, quia etiam ab illis præscinderetur: sed implicat quod aliquid absolutum essentialiter prædicetur de relatione: ergo implicat quod ille conceptus sit præcisus. Secundo implicat quod diuinum aliquid superius recurrat cum vno ex membris diuidentibus, sed si ille conceptus esset absolutus recurreret cum vno ex membris diuidentibus: ergo ille conceptus non potest esse absolutus. Maior est evidens ex legibus bonæ diuisionis, ut constat ex summis, minor etiam est evidens, quia ens divideretur in relativum, & absolutum: ergo absolutum est vnum ex membris diuidentibus ens: sed ens recurreret cum absoluto: ergo recurreret cum vno ex membris diuidentibus ens. Probatur primum antecedens, ille conceptus non esset ad aliud: ergo esset absolutus: antecedens est evidens, nam si esset ad aliud esset relativus, quod etiam implicat propter eandem rationem qua id probauimus de absoluto. Probatur consequentia, omne illud quod non est ad aliud est absolutum, sicut ideo Petrus in ratione substantiæ est absolutus, quia non est ad aliud, sed ille conceptus præcisi non esset ad aliud: ergo esset absolutus.

Octavo, vel ille conceptus esset confusus vel clarus, sed nec potest esse confusus nec clarus: ergo non potest præscindi: probatur minorem, & imprimis non potest esse confusus, quia si esset confusus actu includeret inferiora, sed si actu includeret inferiora, non esset simpliciter præcisus.

fus ut supra late probavi: ergo non potest esse confusus: probatur maior, omnis conceptus confusus ideo est talis, quia actu includit aliquas rationes quas non exprimit ut conceptus definiti, sed si ille conceptus includeret aliquas rationes actu non posset includere alias præter inferiores: ergo ille conceptus includeret actu inferiora. Probatur minor, & imprimis non includeret aliquam rationem superiorem, quia supra ens nihil datur superius neque rationem æqualem, quia etiam est impossibilis: ergo includit actu aliquas rationes inferiores quia non sunt alia, quas posset includere, nec potest esse conceptus clarus, & explicitus: ergo, &c. Probatur antecedens, omnis conceptus clarus, & expressus simpliciter præcisus debet contrahi per alium conceptum distinctum extra quem fit: sed conceptus entis non est ita contrahibilis: ergo non est conceptus clarus, & explicitus: ergo non potest esse simpliciter præcisus.

15 Nono, omnis conceptus simpliciter præcisus est contrahibilis simpliciter: sed ille conceptus non est contrahibilis simpliciter: ergo non potest esse simpliciter præcisus: maior est evidens, quia præscindibile, & contrahibile sunt correlativa. Probatur minor, omne illud quod est contrahibile debet contrahi per aliquid illi superadditum: sed nihil potest superaddi conceptui entis: ergo non est contrahibilis, &c.

SECTIO II.

Aligua certa notantur.

16 **A**dvertendum est hoc nomen *præcisio*, quod derivatur à præscindo, nihil aliud significare ut omnes Doctores asserunt, nisi separationem, divisionem aut partitionem unius ab alio, & quia duplex est separatio, duplex etiam datur præcisio, alia enim præcisio realis est, alia rationis; præcisio realis est separatio unius ab alio realiter, nulla operatione intellectus interveniente, ut quando manus à brachio, caput ab humeris in homine, aut ramus ab arbore gladio dividitur, & separatur à parte rei; præcisio rationis est separatio unius ab alio, per mentis operationem v.g. quando separantur mediante fictione intellectus ea quæ à parte rei sunt idem, ut quando dividitur animal à rationali.

17 Hæc præcisio seu abstractio rationis est duplex, alia negativa, præcisiva alia; negativa abstractio est quando per intellectualem iudicium unum negatur de alio, v. g. quando dico homo non est lapis. Præcisiva est quando è duobus quæ sunt idem unum cognoscimus non cognito alio v. g. cum in Petro cognoscimus rationem communem hominis non cognita Petreitate, & sicut quando visus percipit albedinem non visio sapore qui in eodem subiecto cum albedine est.

18 Hæc abstractio præcisiva, ut bene adnotat Pater Suarez, potest multifariam fieri aut varijs modis contingere, scilicet vel per modum formæ à subiecto, vel per modum subiecti à forma, vel per modum formæ à forma, ut v. g. in Deo præscindimus Deum ut subiectum à sua iustitia ut à forma; præscindimus præterea misericordiam à iustitia tanquam unam formam ab alia formam; item hæc præcisio fit unius rationis communis

à suis inferioribus v.g. quando aliquod prædicatum commune per intellectum dividitur à differentia inferioris, & hoc non fit ob distinctionem, & præcisionem formalem, quæ à parte rei datur inter rationem communem, & particularem, sed ob imperfectum, & inadæquatum modum concipiendi nostrum, ratione cuius in obiecto quod considerat non penetrat nec comprehendit intellectus, totum quod est in illo obiecto, propterea à parte rei existit, sed solum secundum aliquam convenientiam vel similitudinem, quam plures res inter se habent, quæ per modum unius sub ea ratione considerantur, cognoscendo solum rationem illam convenientiam non cognoscendo differentias per quas differunt, dividendo per inadæquatos conceptus ea quæ realiter sunt idem: quo fit ut ad conceptum obiectivum præcisum simpliciter secundum rationem ab alijs rebus seu conceptibus non sit necessaria partitio illorum à parte rei: sed sola sufficit vel denominatio extrinseca, ut alij asserunt à conceptu formali representante illud obiectum secundum solam illam rationem convenientiam non representando illud secundum id totum quod est in re sine aliqua fictione intellectus, vel necessaria est cum aliqua fictione ut verior opinio fert.

Exemplum huius præcisionis fit in conceptu 19 hominis ut sic obiectivo, qui secundum rationem præscinditur à Petro, & à Paulo à quibus in re non differt, illa autem præcisio secundum rationem est à conceptu formali, quia nimirum homo ut obijcitur tali conceptui non est representatus ut iam dixi secundum omnem rationem cum qua identificatur à parte rei; sed solum secundum convenientiam quam plures homines habent, qui per modum unius sub ea ratione concipiuntur, & ideo solet dici præcisionem rationis nihil esse nisi cognitionem confusam aliquis obiecti, quia non penetrat ipsum obiectum neque clare percipit omnes illius rationes, ut cum video animal à longe, cognosco quidem illud esse animal, attamen non distinguo nec percipio clare utrum sit homo vel brutum, cum vero propius accedo, illud clare distinguo, & cognosco esse hominem, quia nunc clare concipio aliquas rationes proprias quæ solum conveniunt homini, & non alteri animali.

Hæc tota præcisio fundatur in distinctione 20 virtuali, quæ datur à parte rei inter rationem communem, & particularem, ut ex dicendis clare patebit.

Sic concipere communem rationem entis vel 21 præscindere ens nihil aliud est quam concipere aptitudinem ut sic ad existendum secundum convenientiam omnium rerum in habendo talem aptitudinem, non penetrando an sit aptitudo ad existendum per se vel in alio, cum autem distinctius cognoscitur hæc aptitudo cognoscitur in illa aptitudine ratio perfectitatis quæ non convenit accidenti.

Hæc abstractio præcisiva bifariam partitur in 22 mutuam, & non mutuam; mutua præcisio fit inter ea quæ ita se habent ut nec ratio superior imbibatur in differentijs inferiorum, nec differentij inferiorum imbibantur in ratione communi, nec actu confuso, nec explicito: sed solum virtute, & potestate, ut quando per intellectum separatur animal à rationali, cognoscendo unum sine alio, quia nec animal includitur in rationali, nec rationale in animali includitur actu vel confuso vel

vel explicito; non mutua fit inter ea, quorum unum, v.g. superior includitur, & imbibitur formaliter in conceptu quidditativo alterius actu saltem confuso, licet ratio inferior differentialis non imbibatur in conceptu essentiali superiori. Itaque tunc fit praecisio non mutua quando ratio communis cognoscitur non cognita ratione particulari, in qua imbibitur ratio communis, non autem potest cognosci ratio inferior sine superiori, quae imbibitur essentialiter, & vocatur non mutua; quia licet possit ratio communis praecindi ab inferiori, nihilominus ratio inferior, & particularis non potest praecindi a superiori, & communi, & quia non mutuo se habent in hac praecisione; ideo praecisio quae inter haec fit, vocatur praecisio non mutua, id est quae non fit ex utroque extremo.

Exemplum huius reperitur in divinitate respectu divinarum relationum; divinitas enim quae est ratio communis respectu divinarum personarum includitur, & imbibitur in divinis relationibus, & est de essentia illarum: quia, quidquid est in divina relatione est ens increatum, & independens ac per consequens Deus; divina autem relationes non imbibuntur nec sunt de essentia divinitatis; alias una relatio esset de essentia alterius, & non distingueretur ab illa realiter, quia quidquid est de essentia Dei est de essentia relationis, & personae, ex hac autem non mutua inclusione divinitatis, & relationum fit ut bene possimus cognoscere evidentem Deum, & divinitatem ut sic evidentia abstractiva ut cognoscitur a naturali Theologia sine eo, quod cognoscantur divinae relationes, quia haec solum divina relatione cognoscuntur: divinae autem relationes minime possunt cognosci non cognita divinitate ut inclusa, & essentialiter imbibita in illis, & sic datur praecisio non mutua.

13 Hae separatio rationis seu praecisio explicatur praecisionibus seu separationibus realibus, quae duplex realiter in creaturis est, nam prima datur inter ea quae distinguuntur, tanquam excludens ab excluso, ut verbi gratia anima rationalis, & materia prima, & ideo utraque mutuo una ab alia potest separari. Secunda praecisio datur inter ea quae distinguuntur tanquam includens ab inclusis; nam ea quae hoc modo distinguuntur non possunt mutuo separari, ita ut exstant, & conserventur unum extra aliud mutuo, v.g. licet possit separari anima rationalis ab homine, & conservari extra ipsum hominem, homo autem sine anima rationali separatus ab illa non potest conservari, imo impossibilis est separatio hominis propria ab anima rationali, quia anima rationalis includitur essentialiter in constitutione hominis; etiam explicatur hoc ex modo, & entitate reali absoluta; modus enim non potest proprie separari a re cuius est modus, ita ut exstat sine re, nec naturaliter, nec supernaturaliter; res autem potest separari propriissime a modo, & conservari sine illo: sic similiter ens ut sic licet possit separari per intellectum a differentia perfectatis vel hominis, quia non constituitur essentialiter ab illis, sicut divinitas non constituitur a paternitate, nec anima rationalis ab homine, differentiae autem non possunt praecindi, & separari ab ipsa ratione entis communi, quia constituuntur essentialiter, & formaliter ratione communi entis.

R. P. Ildeph. de Peñañel, Theol. Schol. Tom. I.

SECTIO III.

Nostre sententiae proponitur, & auctoritate probatur.

Conclusio: ens ut sic praecinditur simpliciter a quacunque differentia intrinseca, & ente particulari: Haec sententia est expressa Aristotelis, & colligitur manifeste ex his omnibus locis, primo ex 4. metaphysica, ubi sic ait. [Est quaedam scientia, quae speculatur ens prout ens est, & quae ei per se insunt; haec autem nulli eorum, quae in parte dicuntur, eadem est; nulla namque ceterarum universaliter de ente prout ens est considerat] quae verba explicans D. Thomas 1. 1. sic ait: [Primo supponit Philosophus aliquam esse scientiam, cuius subiectum sit ens, dicit secundum quod est ens, quia scientiae aliae quae sunt de entibus particularibus considerant quidem de ente, non tamen secundum quod ens, sed secundum quod est huiusmodi ens speculatur.]

Secundo ex quinto, ubi, obiectum scientiae particularis, vel numerus, vel ignis, aut aliquid aliud, & ideo ait esse particularem tali ratione, nulla scientia particularis cognoscit ens universale in quantum huiusmodi; sed solum aliquam partem divisam.

Tertio ex sexto metaph. 1. 1. 3. ubi eadem p. 1. ne verba repetit, explicans autem paulo ante 1. 1. 3. quale sit hoc ens, sic ait. [Prima Philosophia universalis circa genus, & unam naturam] & idem 4. metaphysica, sic ait. [Itaque ens, & unum idem ac una natura est, & 1. 10. eiusdem libri ait, ens esse idem genus,] quod ipse Divus Thomas confirmat 1. 1. 4. super haec verba: sic [ostendit quomodo dialectica, & philosophica cum Philosophia habent similitudinem] conveniunt autem in hoc in quantum considerant de omnibus entibus: hoc autem esse non posset nisi considerent omnia secundum quod in aliquo uno conveniunt, hoc est in ente, quia unius scientiae unum subiectum est: [& passim per eundem librum ens unum genus, & unum universale nominat; item 1. 2. ipsius quarti libri asserit ens dividi in substantiam, & accidentis his verbis. [Ita ens multipliciter dicitur; quaedam enim, quoniam substantiae, quaedam enim quoniam passiones, & accidentia substantiae:] supra quae dicit Angelicus Doctor. 1. 1. [circa primum videtur Philosophus tali ratione, quaecunque communiter unius recipiunt praedicationem, pertinent ad unius scientiae considerationem, quae considerat ens in quantum ens, scilicet tam substantiam quam accidentia: sed ens hoc modo praedicatur de omnibus.] Explicans autem Aristoteles, hoc divisum ens asserit esse essentialiter superius, & commune praedicatum tam substantiae quam accidentis, his verbis: [Quod igitur unius scientiae est ens, & quae ei prout enti insunt, manifestum est non solum substantiarum, sed etiam accidentium esse] supra quae verba haec profert Divus Thomas. [Manifestum esse quod ad unam scientiam pertinet cognoscere ens secundum quod ens, & ea quae per se illi insunt, & per hoc patet quod illa scientia non solum est cognoscitiva substantiarum, sed etiam accidentium, cum de utriusque ens praedicatur ut superius.] & super 1. 1. 1. 3. sic ait [quare cum praedicatur

teat quod propterea entia sunt ei insunt tanquam inferiora.]

- 16 Ex ijs omnibus locis colligo 1. ex primis textibus, obiectum metaphysicæ esse ens ut ens, id est univiale, & commune, quatenus commune est, in quo distinguitur hæc scientia à scientijs particularibus, quæ licet agant de ente, non agunt de illo ut commune, sed ut particularizatum.
- 17 Ex secundis textibus colligo ens illud commune ut commune esse unum simpliciter, quia dicit unum absolute sine addito [vnam naturam idem genus aliquo modo.]
- 18 Ex ultimis textibus colligo: illud ens esse superius, & commune proprie respectu accidentis, & substantiæ, quia de illis essentialiter prædicatur, & in illa per se dividitur, sed hæc omnia non possunt convenire enti, si non præcindatur ab inferioribus: ergo ens in sententia Aristotelis simpliciter præcisum est: minor est evidens, quia si ens non est præcisum, non est unum sed multa, quia sub nomine entis significantur hæc substantia, & accidens: sed substantia, & accidens non sunt unum, sed multa: ergo si ens non est præcisum, non est unum nec vna natura.
- 19 Dices hic pro ente vno sumi substantiam quæ vna est.
- 20 Sed contra hoc iam demonstratum, & convictum est disp. 1. mer. 7. 2. concl. 3. contra Hurr.
- 21 Dices vocari ens commune unum, quia sub vno nomine significantur substantia, & accidens.
- 22 Sed contra, quia Aristoteles asserit illud ens ut ens esse commune quod prædicatur essentialiter, & cui insunt ut inferiora per se accidentis, & substantia: sed illud quod tantum est unum nomen non potest prædicari essentialiter de significatis per illud, quia nomen ut nomen accidentale est significatis: item sydus, & pisces non insunt per se tanquam inferiori respectu huius nominis canis: ergo si ens in sententia Arist. est commune superius per se, & prædicatur essentialiter, & per se non est solum unum nomen, nec loquitur ipse de nomine solum; sed de obiecto huius nominis, quia solum obiectum potest prædicari essentialiter de inferioribus, unde cum illud obiectum sit commune, & univiale est proprie unum, quia commune ut commune est quod cum sit unum, multis convenit, & ideo canis est nomen commune, quia est unum, & convenit multis. Item, quia Aristoteles ait ens ut ens esse vnam naturam, & genus, & unum; sed illa, quæ multa sunt propter solum unum nomen, non dicuntur univiale, idem, genus, unum, & vna natura, ut videre est in sydere, pisce, & animali latrabili, quæ ex eo, quod vno nomine significantur, nunquam vocantur vna natura, & unum simpliciter.
- 23 Ultimo, quia si esset verum quod dicitur ab adversarijs, nimirum quod substantia, & accidens vocentur unum propter unum nomen, unitas illa esset æquivoca in ente, quia esset unitas nominis, ut postea latius demonstrabitur; sed ipse Aristoteles hoc exclusit his verbis: 4. *Metaph. text. 2.* ens autem multipliciter quidem dicitur, verum secundum unum, & vnam naturam, & non æquivoce: ergo ens non est solum unum nomen, sed vna ratio; unde simpliciter præcisa. Hanc etiam conclusionem defendit D. Thom. 1. p. *quest. 5. art. 3. ad 1.* ubi ait: substantia, & accidens contrahunt ens applicando ens ad aliquam quidditatem. Item 1. *sententiarum*, *quest. 1. & in 2. disp. 2.* & multis alijs in locis, ubi asserit ens esse superius, & præ-

dicari essentialiter de substantia, & accidente; sed si ens non esset præcisum à substantia, & accidente, ens nihil aliud esset, quam substantia, & accidens formaliter significata per nomen ens; sed substantia, & accidens non possunt contrahi ad substantiam, & accidens formaliter, ex eo quod per distinctum nomen, quod sit unum, significantur; nec possunt prædicari essentialiter, nec esse superius essentialiter; alias canis contraheretur, & esset superior essentialiter ad sydus, pisces, &c. quod falsum est, quia quod non est præcisum, non indiget contractione; sed ens non præcinditur; ergo non contrahitur: ergo si in sententia Divi Thomæ contrahitur ens, in sententia ipsius præcindetur.

SECTIO IV.

Rationibus ostenditur.

Primo, ratio entis essentialis Deo, & creatis, ²⁴ distinguitur virtualiter, & per æquivalentiam realiter à ratione increati, & à ratione creati in Deo, & in creatura; à quibus non constituitur essentialiter ratio entis, ut probabitur *subseque* sequenti; sed quando datur distinctio aliqua virtualis, & per æquivalentiam realiter inter aliquas, potest dari præcisio unius ab alio saltem inadæquata ex parte illius, quod non constituitur essentialiter ab altero; ergo ens, quod per æquivalentiam distinguitur virtualiter à parte rei ab illis differentijs, poterit præcindi simpliciter ab illis. Maior sic probatur primo. Illa distinguntur per æquivalentiam, & virtualiter, quando de illis opposita contradictoria prædicata enunciantur realiter cum veritate; sed de ratione entis, & de ratione increati, & creati enunciantur prædicata opposita contradictoria cum veritate realiter: ergo, &c. Hæc maior est evidens. Ideo intellectus divinus, & voluntas divina, relatio in divinis, & ipsa essentia distinguntur per æquivalentiam, & virtualiter, quia de ipsis opposita contradictoria prædicata enunciantur cum veritate realiter: ergo illa distinguntur, &c. Hoc antecedens sic patet; de intellectu enim divino enunciatur realiter, quod sit id, per quod Pater generat Filium; de voluntate autem divina quod per illam non generet; de essentia dicitur quod à Patre communicatur Filio; de Paternitate autem fide constat non communicari Filio; cum autem hæc prædicata sint contradictoria, ne duplex contradictio verificetur de eadem entitate, inventa est virtualis, & per distinctionem formalem realem demus in illis, quod esset contra summam divinæ naturæ identitatem, quia nulla ratio potest dari in divinis, cuius causa illæ affirmationes, & negationes simul verificentur sine vlla oppositione contradictoria, nisi virtualis distinctio; Et ratio à priori est; quia impossibile est quod idem formaliter, & virtualiter idem, sub eadem ratione formalissima sit subiectum capax, ut de illo simul affirmetur, & negetur aliquid; impossibile enim est idem simul esse, & non esse; & hoc principium, ut supra diximus *disp. 1. Metaph.* non est proprium creaturarum, sed commune Deo, & creaturis, & sic, ut refert Aristoteles *lib. 4. Metaph.* convertitur cum ente, unde apud omnes Theologos receptissimum est verificati non solum in ente

Quæst. V. Vtrum Ens præscindatur. 141

ente creato, sed in increato; & ratio evidens est; quia illa realiter aliquomodo debent distingui, quando unum habet aliquam rationem positivam, aliud vero non habet illam, sed negationem illius rationis positivæ; sed essentia divina habet esse communicatum Filio, relatio habet negationem illius; ergo aliquo modo realiter debent distingui, non formaliter, quia est contra omnidentitatem divinam; ergo distinguuntur virtualiter, & per æquivalentiam.

Minor sic probatur, quia terminare relationem transcendentelem realem, & non terminare illam sunt prædicata contradictoriè opposita; sed ratio entis terminat relationem transcendentelem huius demonstrationis (illud, quod est verum, est intelligibile; sed ens est verum; ergo ens est intelligibile) Et divinitas, aut differentia increata non terminat illam relationem; ergo de ente, & de ratione increata enunciantur prædicata contradictoriè opposita. Clarius, esse convenientes, & non convenientes sunt duæ contradictiones; sed Deus in quantum ens convenit realiter cum creatura quatenus ens, & Deus sub ratione increati non convenit realiter cum creatura; ergo de ente, & de ratione increata verificantur duæ contradictiones.

Secundo; illa distinguuntur virtualiter, quæ possunt terminare conceptus entis specie, & essentialiter distinctos, sed conceptus entis, & perfectatis possunt terminare conceptus specie distinctos; ergo ratio entis, &c. Maior est certa, quia distinctio virtualis vocatur illa, quæ datur in aliqua entitate reali quatenus formalitates, & prædicata identificata inter se, per quæ æquivalent pluribus rebus, ratione quarum est fundamentum convenientiæ, & disconvenientiæ; tunc autem aliquæ formalitates distinguuntur virtualiter, quando ipsa res potest terminare representationes specie distinctas; sed actus specie distincti sunt representationes distinctæ essentialiter; ergo tunc datur distinctio virtualis inter aliquas formalitates, quando illa terminant actus specie distinctos. Probat minor. Conceptus entis, & conceptus increati, & perfectatis possunt terminare actus scientiæ, & erroris, actus claros, & obscuros, sed actus illi sunt specie distincti; ergo ratio entis, & ratio increati, &c. possunt terminare actus specie distinctos. Maior ita probatur; quia multi, qui videnter cognoscebant formam materialem esse ens, negabant esse perfectitatem; ac proinde dicebant esse accedens; & multi, qui videnter cognoscebant quantitatem esse ens, negant esse accedens, & Gentiles, qui cognoscebant Deum habere essentiam, negant esse increatam; & Aristoteles, qui cognoscebat materiam primam evidenter, negabat esse creatam; sed primi actus sunt scientifici, secundi autem sunt erronei; & nos in sententia contrariorum clare concipimus ens, & confuse differentias; ergo conceptus entis, & increati, perfectatis, & inaleitatis possunt terminare actus scientiæ, & erroris, actum clarum, & obscurum, &c.

Dices contra primam probationem minoris; falsum esse, quod ens solum terminet relationem transcendentelem illius demonstrationis, & non divinitas.

Contra; quia illud solum est terminus relationis transcendentalis alicuius cognitionis, in quod adæquate, & essentialiter tendit cognitio; sed ille actus demonstrativus solum adæquate, & essen-

tialiter tendit in ens, & non in divinitatem; ergo solum ens, & non divinitas est terminus illius. Minor sic probatur. In illud adæquate tendit actus, quod solum repræsentatur actu in illa demonstratione; ut latissime probatum manet quæst. ultima præmialium Metaphis. concl. 1. ratione prima, reliqua contra primam solutionem; sed in illa demonstratione actualiter solum repræsentatur expresse ens, & non divinitas; ergo solum ens, &c.

Dices iterum, rationem entis in Deo, non esse rationem conveniendi cum creaturis, sicut nec ratio increati est ratio conveniendi.

Sed contra; quia inter illa, quæ sunt entia simpliciter, & habent propriam, & simpliciter entitatem, datur vera, & propria convenientia, sed ens creatum, & Deus, sunt entia simpliciter, & habent entitatem propriam; ergo habent convenientiam simpliciter. Maior est evidens. Ideo inter Petrum, & Paulum datur vera, & propria convenientia in esse hominis, quia sunt homines simpliciter, & proprie; & habent intrinsecam, & propriam simpliciter humanitatem; & idem est inter homines, & leones in ratione animalis; & in ratione substantiæ inter hominem, & Angelum. Minor sic probatur. Non ex parte Dei, quia non est dubium, sed ex parte creaturarum, v.g. in Angelo illud, quod est proprie, & simpliciter substantia proprie, & simpliciter est ens, quia impossibile est, quod ratio inferior sit propria, & simpliciter, & ratio superior non sit talis; quia ratio inferior propria simpliciter constituitur essentialiter in suo esse à ratione superiori, & est idem cum illa; sed idem non potest esse proprium, & improprium, quia impossibile est idem simul esse, & non esse; sed Angelus proprie, & simpliciter est substantia, & homo etiam, quia Angelus, & homo habent propriam substantiam, quæ non debetur nisi substantiæ simpliciter tali. Quod autem habeat illam simpliciter, patet ex mysterio Incarnationis, ubi per veram, & propriam substantiam divinam supplevit Verbum divinum substantiam propriam simpliciter humanitatis; ut inter omnes catholicos ut certissimum dogma fidei accipitur.

Ex quo sequitur evidenter hominem, qui de facto assumptus fuit, & Angelum, qui potuit assumi, habere propriam substantiam, cui debetur propria substantia. Item, quia omnis ratio secundum quid, & omnis ratio impropria fundatur in aliqua propria simpliciter, ut videre est in risu pruri, quia fundatur in propria, & simpliciter amicitia; & ratio hominis picti fundatur in vera, & propria imagine, & pictura; ergo si Angelus non est proprie substantia, debet fundari in alia ratione propria; sed non est alia propria individua in Angelo, quia neque est proprie modus, nec proprie accedens; ergo illa ratio non est impropria, sed propriissima respectu Angeli; quod sic evidenter patet de ratione entis; quia impossibile est quod aliquid habeat simpliciter attributum, & non habeat simpliciter essentiam, quæ identificatur cum illo attributo, sicut impossibile est quod sit aliquis infinite iustus per essentiam, & non sit Deus, sed omnia entia creata sunt simpliciter, & sine addito bona, & non solum bona, sed valde bona, ut ex illo Gen. 1. patet: [Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona] unum quodque enim bonum vocat divinum sine addito, & cuncta, quæ fecerat, vocavit valde bona; sed illa, quæ non sunt talia simpliciter,

simpliciter, non vocantur talia sine addito. Quis enim Christum absolute leonem vocavit, nisi luda? Quis enim amicitiam prae absolute risum vocat, & a fortiori? Quis hominem pictum non solum hominem, vocet absolute, sed valde bonum, & perfectissimum hominem; ergo infallibilis sapientia Dei, quae semper in suis dictis adequatur cum obiecto, creaturas non solum vocat sine addito bonas, sed valde bonas; superlative, simpliciter, & absolute bonae erunt; ergo simpliciter erant entia, quia bonitas est attributum simpliciter entis; & sicut esset evidens argumentum: Haec entitas est simpliciter omnipotens, ergo simpliciter, & absolute Deus; sicut haec entitas est absolute, & simpliciter visibilis; ergo est absolute, & simpliciter homo; ergo si creaturae sunt simpliciter, & absolute bonae; ergo simpliciter, & absolute entia erunt.

31 Praeterea, Angelus habet entitatem immediate oppositam non enti simpliciter, quod est nihil; ergo habet simpliciter rationem entis. Antecedens patet; quia non enti simpliciter, quod est nihilum, repugnat existere à parte rei, Angelo autem non repugnat existere; ergo Angelus habet esse contradictoriè, & simpliciter oppositum non enti, quia repugnat existere absolute, & non repugnat existere absolute, sunt simpliciter contradictoria. Consequentia prima sic probatur. Illud solum opponitur immediate, & simpliciter contradictoriè alteri simpliciter, quod fuerit simpliciter, & absolute tale; ut homini simpliciter non opponitur contradictoriè immediate non homo secundum quid; sed absolute, & simpliciter non homo; sed Angelus opponitur contradictoriè simpliciter, non enti simpliciter; ergo Angelus est ens simpliciter, quia cum oppositio contradictoria sit primo diversa (propter quod dicitur primum omnium principium hoc: Impossibile est idem simul esse, & non esse) ergo Angelus erit simpliciter, & absolute ens, & ideo omnes Doctores Ecclesiae solent appellare quaecumque creaturam intellectivam propriissimam imaginem Dei, quia propriissime participat rationem entis in Deo secundum ultimum, & perfectissimum gradum entis, intellectivum nimirum.

32 Minor praecipui, & primi syllogismi sic probatur; quia omnis distinctio virtualis, & per aequivalentiam in ratione sua, est quasi potentialis, cuius exercitium, cum non possit esse actualis, & formalis distinctio, divisio, seu separatio realis, debet esse divisio, & separatio per rationem formaliter, sicut ad distinctionem formalem sequitur ut exercitium divisio, seu separatio realis; sed inter ens, Deum, & creaturam datur distinctio per aequivalentiam; ergo potest dari divisio, & separatio per rationem. Illa Maior sic probatur, quia ideo solum separatur divina iustitia à misericordia divina per intellectum, & divinus intellectus à voluntate divina, animal à rationali per rationem, quia distinguuntur ad invicem realiter per aequivalentiam, & virtualiter, quia si nec formaliter, nec virtualiter distinguerentur, non possent separari per intellectum separatione propria rationis ratiocinatae: ideo enim non possumus separare per rationem propria separatione Petrum ab ipso Petro, neque possumus separare divinitatem ab entitate ex se independente; quia neque distinguuntur virtualiter per aequivalentiam à parte rei; neque formaliter à parte rei: ergo ideo separantur illa per rationem ratione ratiocinata,

quia licet non distinguantur realiter formaliter, distinguuntur tamen realiter per aequivalentiam; & ratio videtur clara, quia si ea, quae distinguuntur per aequivalentiam realiter, vnum habet vnam rationem positivam, non habendo ut sic negativam; & aliud habet negationem illius propter sic, non habendo positivum: ergo illud, quod habet negationem, solum potest concipi sine alio sub illa ratione positiva, non cognita alia sub ratione negativa, sed hoc est praecindere vnum ab alio per rationem; ergo.

33 Vergetur, quia per vnum, & eundem conceptum non possunt duo contradictoria praedicata cognosci, sed potius necessario debent per duos conceptus concipi, & representari. Unde affirmatio, & negatio, quae sunt cognitiones, per quas duo praedicata contradictoria cognoscuntur, & enunciantur de subiecto, sine dubio sunt duo conceptus, quia ut dixi, per eundem indivisibilem conceptum non possunt concipi praedicatum negativum, & positivum simul; quae sunt praedicata contradictoria; ergo res, vel subiectum sub vno praedicato contradictorio debet concipi per vnum conceptum; & per eundem non potest idem subiectum concipi sub alio contradictorio praedicato; sed cognoscere per vnum conceptum aliquid sub vna formalitate, & ratione, & non cognoscere illud per eundem conceptum sub alia formalitate est praecindere vnam formalitatem ab alia; ergo.

34 Declaratur; quia distinctio fundamentalis à parte rei inter aliquas formalitates sufficit ut vna formalitas concipiatur per vnum conceptum, non cognita alia formalitate per talem conceptum; sed distinctio virtualis est distinctio fundamentalis; ergo distinctio virtualis inter formalitates sufficit ut vna concipiatur non concepta alia; atqui concipere vnam formalitatem non concepta alia est praecindere, & abstrahere vnam formalitatem ab alia per rationem; ergo distinctio virtualis sufficit ut vna formalitas praecindatur ab alia. Maior est certissima; ideo praecindimus voluntatem ab intellectu divino, vnam ideam ab alia; actum liberum à necessario divino, divinitatem à relationibus, animal à rationali, &c. & hoc in omnium sententia, quia datur distinctio fundamentalis inter intellectum divinum, & voluntatem divinam, &c. Ratio autem à priori est, quia distinctio fundamentalis non est aliud quam dari fundamentum in rebus, ut vna formalitas cognoscatur per vnam cognitionem, & alia per aliam; ita ut formalitas, quae cognoscitur per vnam, non cognoscatur per cognitionem, per quam cognoscitur alia; sed cognosci per vnam cognitionem aliquid non cognito alio est praecindere: ergo distinctio fundamentalis inter aliquas formalitates est sufficiens ut vna formalitas praecindatur ab alia. Minor prima est evidens; quia illa perfectio, vel affectio, quae datur in vna simplicissima entitate, ut aequivalendo pluribus distinctis realiter possit facere, vel exercere varias productiones, vel operationes, vel esse subiectum convenientiae, & disconvenientiae realiter; ratione enim appellatur distinctio virtualis, aut per aequivalentiam, ipsaque ratione talis perfectionis conveniendi, & disconveniendi, &c. tribuit fundamentum ut per varios conceptus concipiatur per vnum sub convenientia, & per aliud sub disconvenientia, dicitur, & appellatur distinctio fundamentalis, ut videre est in intellectu, & voluntate

luntate divina, in animali, & rationali; ideo enim datur distinctio fundamentalis inter illa, quia tota entitas hominis, quæ simul est animal, & rationale, æquivaleret pluribus rationibus cuius secundum formalitatem animalis convenit cum equo, & non convenit cum equo secundum formalitatem rationalis, & etiam, quia tota illa entitas est principium distinctarum operationum, ratiocinandi nimirum, & sentiendi; & quia intellectus divinus, & voluntas divina, quæ sunt una formalissima entitas, æquivaleret distinctis realiter, ratione cuius intellectus est quo Pater producit Verbum, & non voluntas, ideo habet distinctionem fundamentalem ut intellectus præscindat intellectum à voluntate, cognoscendo intellectum sub productione Verbi, ut sic dicam, non cognoscendo voluntatem sub tali ratione: ergo idem est distinctio virtualis à parte rei, ac distinctio fundamentalis.

35 Vrgetur, quia hæc præcisio per rationem non est separatio propria, sed est quædam cognitio, quæ ex eo quod limitata, & finita sit, non adæquate cognoscit, nec penetrat totum obiectum; aut perfecte comprehendit omne, quod in se est obiectum, sed inadæquate cognoscit, & quasi parititur illud intentionaliter, cognoscendo illud tantum secundum quandam formalitatem istio conceptu, alio verò secundum aliam, licet illæ formalitates sint idem inter se, & una simplicissima entitas; quod non evenit ex eo quod solum scientia sit confusa, & abstractiva, sed ex eo quod limitata, & finita est; nam scientia visionis, ut diximus, intuitiva cognitio Dei est, & clarissima, & nihilominus præscindit unum gradum cognoscibilitatis in Deo, ab alio gradu vel divinitatis, quæ transcendit illos ab ipsis, & unam formalitatem potentie, quæ continet hanc, vel illam creaturam ab alia continente aliam creaturam; & in omnium sententia certissimum est etiam si Beati cognoscant actus necessarios voluntatis divinæ, non cognoscere actus liberos necessarios; etiam si actus liber Dei, & necessarius sint idem; in quibus videtur fundari incomprehensibilitas divina, quia non omnes beati cognoscunt omnes formalitates omnipotentie, & omnes creaturas possibiles contentas in illis formalitatibus, quia Deus licet cognoscatur ut totus; non cognoscitur totaliter, quia si totaliter cognoscere, absque dubio comprehenderet, quod totaliter non cognosce in hoc consistit ut non cognoscatur Deus cum omni gradu possibilitatis, vel cum omni formalitate omnipotentie; sed licet divinitas transcendat relationes, & gradus, concipitur divinitas non conceptis relationibus, & gradibus propter illam distinctionem æquivalentiam; & quia illa cognitio eo quod finita, & limitata est, non adæquat totum Deum, nec penetrat quicquid est in Deo. Vnde necessarium est quod Deus propter istam limitationem, & imperfectiorem cognitionis cognoscatur secundum unam formalitatem, v. g. entis, vel substantie, & non cognoscatur secundum alias, quas transcendunt ens, & substantia; quia si ex eo quod cognoscere, deberet cognosce secundum omnes formalitates transcendentes, necessario deberet comprehendere præcipue in Beatis, ubi & totus Deus cognoscitur clare, & hac suppositione cognoscere, etiam omnes formalitates Dei propter transcendentiā, imo etiam sequeretur cognosce infiniti-

rum in actu naturaliter, quia naturaliter cognoscitur Deo ut Deo, necessario deberet cognosce in vestra sententia quicquid transcenditur à Deo, sed infinite formalitates transcenduntur à Deo actu; ergo infinite formalitates actu cognoscuntur naturaliter.

Vrgetur; quia nostra scientia abstractiva est confusa, & imperfecta; ergo petit in obiecto rationem cognoscibilitatis confusam, & non expressam, & perfectissimam propter correspondentiam necessariam inter cognoscibilia, & cognitionem; sed confusum esse in Deo est ratio, & formalitas entis, & substantie, & non gradus ultimi secundum se; neque perfectiones, & relationes; ergo petit ut cognoscatur per hanc scientiam abstractivam, confusam, & imperfectam ratio entis in Deo, vel substantie non cognita alia formalitate perfectissima, licet ens, & substantia ut sic transcendat illam, & alias perfectiones; quia licet gradus entis transcendat omne, quod est in Deo, nihilominus illa ratio entis non dependet à cognitione Dei; prius enim non dependet in cognitione à posteriori; sed gradus entis in Deo saltem virtualiter est prior divinitate; quia non constituitur ratio entis divinitate, licet divinitas essentialiter constituatur ab illa; quia si constitueretur ratio entis à divinitate, ubicumque daretur ens, daretur divinitas; sicut ubicumque datur homo, datur rationale; & ubicumque datur Deus, datur ens; sed ens datur in Angelo, & non datur divinitas; ergo non est de essentia entis divinitas, licet ens sit de essentia divinitatis; ergo licet cognitio Dei dependeat à cognitione entis; quia Deus constituitur essentialiter ente, & ideo sicut Deus non potest esse in ente, neque cognitio Dei sine cognitione entis, nihilominus cognitio entis non dependet à cognitione Dei, quia ens non constituitur à Deo, & sic poterit cognosce ens non cognita divinitate propter imperfectiorem, & limitationem cognitionis non penetrantis totum obiectum, sicut propter istam confusionem, & imperfectiorem cognoscitur substantia, licet transcendat relationes, & licet transcendat divinitatem sine divinitate, & divinis relationibus in hac cognitione, v. g. omne ens per se independens à subiecto est perfectius accidenti; sed substantia ut sic est ens per se independens à subiecto; ergo est perfectior accidenti; ubi cognoscitur substantia ut sic quatenus abstrahit à divina tam absoluta quam relativa, & à creata sine eo quod in hac cognitione neque confuse, neque expresse representetur, & contineatur divina relatio, quia obiectum supernaturale nec expresse, nec distincte potest attingi à cognitione naturali, ut hæc demonstratio est; & nihilominus illa substantia ut sic transcendit obiectum supernaturale ut est relatio Trinitatis: ergo. Item, quia in prædicamentis cognoscitur accidens ut sic, quatenus abstrahit à completo, & incompleto, & non cognoscuntur inferiora ex vi illius cognitionis, v. g. habitus gratia intellectus, &c. & tamen ratio accidentis transcendit; ergo.

Confirmatur hoc, cognitio clara ens non est cognitio clara substantia; ergo ens clara cognitione præscinditur à substantia; quia nihil aliud, est præscindi, quam unum cognosce non cognito alio; sed quando cognoscitur clare ens ut sic, clare non cognoscitur substantia; ergo præscinditur ens à substantia.

Ultimo confirmatur: Bene potest mens nostra, & concipere

concipere per unam cognitionem ens, id est, habere esse ut inclusum in perfectitate, & inalicitate: ergo illa ratio sic cognita erit simpliciter precisa communis, & una. Probatur hæc consequentia. Precisa, quia attingitur sine modis (cognosci enim unum sine alio, est præcindi) communis, quia tam de substantia, quam de accidenti simul, & divisim prædicatur illa ratio entis, una; quia in illo conceptu non est aliquid, per quod dividatur, cum nulla sit differentia. Antecedens sic probatur, quia illa ratio essendi inventa in substantia, & distinguitur virtualiter, ut diximus, & distinguitur ratione, ut nunc probatur à perfectitate, & inalicitate. Illud distinguitur per rationem ab aliquo, quando per rationem habet diversa munera, & officia, & quando distinctæ rationes de illis prædicantur; sed de ente ut sic, & de perfectitate, & inalicitate prædicantur distinctæ rationes, & habent munera, & officia distincta: ergo. Hæc Minor sic probatur, quia ratio entis est transcendens differentias, differentia autem non sunt transcendentes; ratio entis est communis substantiæ, & accidenti; perfectitas autem, nec inalicitas non sunt communes respectu substantiæ, & accidentis: ergo de ratione entis prædicantur distinctæ rationes per intellectum.

39 Nec obstat dicere ens, & perfectitatem, & inalicitatem, accidens, & substantiam non distinguí ex parte obiecti, sed ex modo cognoscendi.

40 Sed contra; quia illud obiectum entis non est transcendens extrinsecum, & per denominationem extrinsecam, sed per intrinsecum esse ipsius entis; nam ratio entis imbibitur essentialiter, & intrinsecè ex parte ipsius entis in omnibus inferioribus; nam ipsum inferius, ex parte sui petit essentialiter secundum quamcumque formalitatem illius esse ens, & non per solam cognitionem, & denominationem extrinsecam: ergo distinctio non est solum per cognitionem ex parte cognitionis, sed ex parte obiecti intrinsecè, quia tota ratio distinctionis entis ab inferioribus est transcendentia illius in omnes formalitates eorum; sed hæc transcendentia non se habet precise ex parte cognitionis determinatæ ad ens; sed etiam ex parte obiecti illius cognitionis intrinsecæ; ergo ens distinguitur intrinsecè à differentijs perfectitatis, & inalicitatis. Tunc sic: Illud, quod distinguitur in aliquo genere complete ab alio, potest separari ab illo, licet ex parte alterius, quod non distinguitur complete non possit dari talis separatio, ut videre est in modis; sed ens complete distinguitur per rationem à modis perfectitatis, & inalicitatis; ergo potest separari ab illis, licet modi non possint ex sua parte separari ab ente, quia non distinguuntur complete ab ipso ente, ex eo quod essentialiter constituentur per ens. Minor hæc sic probatur, quia ens ut est commune Deo, & creaturis, non dependet essentialiter ab illis; nec constituitur essentialiter ab ipsis, ut iam probatum est; & etiam, quia totum ipsum adequatum esse entis non est nec perfectitas, nec inalicitas, quia tota ratio entis datur in accidenti sine perfectitate, & tota ratio entis datur in substantia sine inalicitate: ergo tota, & adequata ratio entis ex parte sui non est perfectitas, & inalicitas, cum ab unaquaque nec constituatur, nec dependeat, (quod est signum evidens distinctionis adequatæ) imò à quacumque ipsarum complete separata conservetur, quod est evidenti-
erit

argumentum; Ideo enim colligimus evidenter animal adequatè, & completè distinguí à rationali, quia tota, & adequata ratio animalis nec constituitur, nec dependet à rationali; imò perfecte tota conservatur sine rationali in equo, & sine irrationali in homine, illud enim, quod inadequatè distinguitur ab alio, constituitur necessario ab illo, à quo inadequatè distinguitur, quando totum est, & nullibi potest reperiri perfecte sine tali constitutivo, v. g. homo sine anima, vel materia; ergo si ens nec constituitur, & ex alio capite conservatur perfecte sine perfectitate, licet sit totum metaphysicum, evidenter colligitur ex parte sui distinguí adequatè, & completè à perfectitate, vel inalicitate. Maior illa evidens est, ideo materia prima potest separari à forma realiter, & forma à materia, quia adequatè distinguuntur realiter; & ideo animal separatur per rationem à rationali, quia animal adequatè, & completè distinguitur à rationali, & ratio evidens est, quia illud quod secundum totum suum esse non est aliud secundum totum suum esse quatenus ab alio, non constituitur, nec dependet, nec erit intelligibile sine illo, quia eo modo, quo totum suum esse distinguitur ab alio esse, & non est illud, est ens, sed ens eo modo, quo tale est, est verum; ergo & cognoscibile, quia synonyma sunt verum, & cognoscibile; ergo potest cognosci sine illo, quia complete, & adequatè non solum non est illud, sed complete, & adequatè conservatur sine illo, & sic complete, & adequatè est verum, hoc est, cognoscibile sine illo, sed ens est adequatè distinctum, & adequatè conservatur sine perfectitate, & inalicitate: ergo est cognoscibile sine illis absolute, vnde, & præcindibile absolute ab illis. Videte alias rationes, quibus hoc idem probavimus in Logica de ratione superiori, & indifferenti, diximus enim *quæst. illa, verum unitas formalis à numerali, vel univ. ali, &c.* posse rationem communem, & indifferentem oppositis cognosci non solum divisive sine illis, sed etiam collective conservari, & cognosci.

Respondent aliqui neothei dicendo, rationem entis repertam in substantia esse primo diversam à ratione inventa essendi in accidenti; rationes autem diversas primo eundem actum terminare non posse, & consequenter nec similem rationem præcindi.

Sed contra, quia ratio illa essendi inventa in substantia, aut est primo diversa ab alia, ut est ratio essendi solum precise, aut quatenus coniungitur perfectitati: Non primum, quia ratio essendi ut talis, & precise concepta non opponitur rationi essendi ut tali, eum idem sint; & præterea, quia tota ratio diversitatis primæ inter accedens, & substantiam non potest esse in ratione essendi formaliter, quia in illo primo simpliciter, & absolute conveniunt tam accedens quam substantia, tam Deus, quam creatura, ut nuperrime late demonstratum est; Sed idem formalissime non potest esse ratio conveniendi primo, & non conveniendi primo, quod est primo differre; vnde dicendum est convenire illas entitates totaliter per rationem entis, & differre per modos perfectitatis, & inalicitatis; cum autem illi modi non includantur actu in ente, non faciunt ipsum ens esse primo diversum; vnde tantum erit primo diversum ens, non ratione sui formaliter, sed quia coniungitur perfectitati, & inalicitati. Vnde substantia
erit

Quæst. V. Vtrum Ens simpliciter, &c. 145

erit primo diversa ab accidenti, non propter rationem entis, sed propter perfectiorem, quatenus modi illi primo opponuntur expresse cogniti; unde ipsum ens secundum se ipsum, & quatenus perfecte reperitur independentem à perfectiorem in accidenti, & ab inaliitate in substantia, ab in creatore in creatura, à creatura in Deo, & quatenus ut sic non includit aliquam diversitatem, poterit concipi, & terminare actum voluntatis, quin terminent eundem modi perfectiorem, & inaliitatis; nam divinitas, quia perfecte datur in filio sine paternitate, & in Patre sine filiatione, potest ex se terminare actum intellectus sine aliqua diversitate, quem actum non terminant relationes, licet relationes transcendat ipsa ratio Dei.

SVBSECTIO I.

Confirmatur hæc ratio, & solutiones Adversariorum diluuntur.

⁴³ **Q**uia tunc datur conceptus simpliciter præcisus ab inferioribus, quando cognoscitur ipse conceptus sine illis, sed conceptus entis cognoscitur sine suis inferioribus; ergo datur conceptus simpliciter præcisus entis. Probatur Minor. Inferiora entis, scilicet substantia, accidens, Deus, & creatura non sunt de conceptu essentiali entis, licet ipsum ens sit de conceptu illorum; sed intellectus potest concipere rem præcisè sine his, quæ non sunt de illius essentia; ergo intellectus potest concipere ens præcisè sine suis inferioribus. Maior est evidens, quia illud, quod est essentialiter alicui, semper comitatur illud, ita ut nec possit esse, nec conservari in aliquo statu sine ipso, & ideo evidenter colligimus Paternitatem non esse de conceptu essentiali naturæ divinæ; quia existit natura divina in Filio, ubi non est paternitas; & ideo ratio entis à se est de conceptu essentiali naturæ divinæ, quia nullo modo potest dari natura divina sine ratione entis à se, & in Metaphysica etiam est evidens. Nam ideo sensibile est de conceptu essentiali animalis, quia in quocumque statu detur animal, necessario datur sensibile; & ratio huius est evidens, quia implicat dari rem sine sua essentia, sed ratio entis datur, & conservatur non solum intelligibiliter, sed etiam realiter sine perfectiorem, & idem argumentum potest fieri de inaliitate, & alijs inferioribus entis; ergo perfectas non est de conceptu essentiali entis. Probatur Minor. Ratio entis datur in accidenti realiter, & intelligibiliter, sed ratio entis, quæ datur in accidenti, non dicit perfectiorem; ergo ratio entis potest dari sine perfectiorem. Maior est evidens, & eam probabo infra. Minor non est minus evidens, quia accidens non est substantia; sed si in accidenti daretur perfectiorem, & ens, daretur ens per se; ergo esset substantia; quia substantia nihil aliud est quam ens per se; ergo in accidenti non datur perfectiorem; ergo ens potest dari sine perfectiorem.

⁴⁴ Confirmatur, quando aliqua formalitas est de conceptu essentiali alicuius rationis, vel conceptus, de quocumque prædicatur talis conceptus, vel ratio essentialiter, prædicatur etiam essentialiter ipsa formalitas; ergo si ratio creati, quod est inferius entis, esset de conceptu essentiali entis, de quocumque prædicaretur ens essentialiter, prædicaretur etiam essentialiter ratio creati; sed

R. P. Ildaph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

ratio entis prædicatur essentialiter de Deo; ergo etiam ratio creati prædicatur essentialiter de Deo. Maior est evidens. Nam ideo prædicatur essentialiter de homine sensibile, & corpus, quia prædicatur de illo essentialiter animal, quod includit essentialiter sensibile, & corpus; & ideo de Verbo æterno prædicatur essentialiter ratio entis à se, quia divinitas, quæ prædicatur essentialiter de illo, includit in suo conceptu essentiali rationem entis à se, & ratio huius est evidens; quia prædicatum, quod communicatur alicui subiecto, vel inferiori, debet communicari secundum prædicata essentialia sua. Minor etiam est evidens; scilicet quod ratio entis prædicetur essentialiter de Deo: consequentia legitime colligitur ex præmissis, & est hæretica; ergo aliqua præmissa est falsa; sed non potest esse alia, nisi quod ratio entis includat essentialiter rationem creati; ergo ratio creati non est de conceptu essentiali entis, & idem argumentum fit de quocumque inferiori entis comparato cum ipso ente; ergo nullum inferius entis est de conceptu essentiali illius. Et hanc etiam consequentiam probabo *quæst. sequenti*, efficacissime meo videri; ergo ens potest concipi sine suis inferioribus. Patet consequentia. Ideo animal potest concipi sine homine, & equo, quia homo, & equus non sunt de conceptu essentiali animalis, licet animal sit de conceptu essentiali hominis, & equi; sed inferiora entis non sunt de conceptu essentiali entis, licet ipsum ens sit de conceptu essentiali illorum: ergo ens potest concipi sine suis inferioribus.

Dices, quod licet ens non includat essentialiter perfectiorem, nihilominus includitur essentialiter in illa, atque idem non potest concipi sine perfectiorem, quia non potest concipi sine illo, in quo includitur essentialiter; quod aliter contingit in animalibus, quod non includitur in rationali, & sic potest concipi sine rationalitate.

Sed contra: ergo etiam si animal possit concipi sine rationalitate, non poterit concipi sine homine. Probatur consequentia. Ideo ens; per vos, non potest concipi sine perfectiorem, quia est ens de conceptu essentiali perfectiorem; sed animal est de conceptu essentiali hominis: ergo animal non potest concipi sine homine. Maior est solutio adversariorum, Minor est evidens, quia homo essentialiter est animal; consequentia legitime infertur.

Confirmatur; si hæc solutio subsisteret, necessario quando concipitur ens in aliquo inferiori, conciperetur etiam in alijs inferioribus, v. g. quando concipitur ens in Deo, conciperetur necessario in creatura; sed hoc est falsum; ergo falsa est solutio. Probatur maior, ens non potest concipi secundum adversarios sine illis, in quibus includitur essentialiter; sed ens, quod est in Deo, includitur essentialiter in creatura; ergo non posset concipi ens in Deo, quin conciperetur in creatura. Maior est solutio, quam impugnamus. Minor est evidens, quia ens in Deo non diversificatur ab ente, quod est in creatura ratione sui, sed ratione differentie contrahentis illud ad esse Dei: ergo ens, quod est in Deo ratione sui est ens, quod est in creatura. Antecedens constat ex dictis *101a disp. 2.* ergo ens, quod est in Deo, non potest concipi sine creatura; sed hoc est falsum; ergo, &c. Probatur Minor. In tantum concipitur creatura ex conceptione Dei, in quantum concipitur

pitur expresse omnipotentia divina, vel aliquid Dei, quod sit ad creaturam, sed potest concipi ens, quod est in Deo non concepta expresse omnipotentia divina, concipiendo præcise, & expresse rationem entis à se; ergo potest concipi ens, quod est in Deo, non conceptis creaturis. Maior est evidens; quia in tantum creaturæ concipiuntur necessario concepto Deo, in quantum Deus concipitur, & cognoscitur ut causa illarum, vel secundum aliam habitudinem, quam potest Deus habere ad creaturas, scilicet volentis, aut intelligentis illas; sed in tantum concipitur Deus ut causa creaturæ, vel dicens habitudinem, si qua est, ad creaturam, in quantum concipitur omnipotentia illius, volitio, aut intellectio: ergo in tantum creaturæ concipiuntur necessario concepto Deo in quantum concipitur omnipotentia, volitio, aut intellectio illius. Maior est evidens, quia in tantum aliqua res necessario concipitur concepta alia, in quantum concipitur cum illa, vel in quantum alia dicit relationem secundum esse, vel secundum dici; sed creaturæ solum possunt connecti cum Deo necessario ratione omnipotentia, vel Deus potest dicere relationem transcendentalem, vel secundum dici, aut esse ratione omnipotentia, intellectio, & volitionis: ergo tunc concipitur necessario creatura ex conceptione Dei, quando concipitur Deus ut omnipotens, volens, aut sciens creaturas; sed potest concipi ratio entis à se in Deo, non conceptis expresse omnipotentia, volitione, & illius intellectu: ergo potest concipi ratio entis in Deo quin concipiatur creatura.

48 Vtgetur hoc, potest concipi ratio entis existentis in Deo, quin concipiantur relationes divinae, sed ratio entis existentis in Deo est de conceptu essentiali personalitatum divinarum: ergo potest concipi ratio entis, quin concipiatur id, in quo includitur essentialiter. Probat Maior, primo de cognitione per fidem. Iudæi antiqui, per fidem divinam cognoscebant rationem naturæ divinæ, & rationem entis existentis in illa; sed non omnes cognoscebant Trinitatem personarum: ergo potest cognosci ratio entis existentis in Deo, quin concipiantur personalitates divinae. Maior, & Minor sunt certissimæ, ut optime advertit Eximius Doctor *lib. 2. de Trinit. c. 2.* Tunc sic argumentor: Ratio entis existentis in Deo est eadem realiter, & formaliter, quæ includitur essentialiter in personalitatibus divinis; sed potest concipi ratio entis existentis in Deo, quin concipiantur personalitates divinae: ergo potest concipi ratio entis, quin concipiatur id, in quo includitur essentialiter, ex eo solum, quia non includit aliud essentialiter in suo conceptu, v. g. ideo potest concipi ratio entis sine personalitatibus divinis, quia licet ens includatur essentialiter in illis, nihilominus non includit essentialiter in suo conceptu personalitates divinas; sed licet ens includatur essentialiter in omnibus suis inferioribus, ipsum tamen ens nullum illorum includit essentialiter in suo conceptu: ergo potest concipi sine illis.

49 Secundo, & virgentius probatur eadem Maior de cognitione evidenti: evidenter cognoscitur ratio entis existentis in Deo non cognitis personalitatibus divinis, imo negando illas de conceptu entis existentis in Deo; sed ratio entis existentis, & inclusi in natura divina, est eadem, quæ includi-

tur in personalitatibus divinis; eadem, inquam, non solum fundamentaliter, sed etiam formaliter, & realiter; ergo ratio entis potest concipi evidenter, quin cognoscatur id, in quo essentialiter includitur, imo negando de ipsa ratione entis, id, in quo essentialiter includitur. Maior est evidens, quia Philosophi antiqui cognoverunt evidenter Deum, ut probavi *disp. 1. quest. 3.* cum communi Theologorum; sed nullo modo cognoverunt personalitates divinas, imo negabant illas de Deo, & de ente existente in Deo, ut negant etiam multi hæretici citati ab Eximio nostro Doctore *loco allegato de Trinitate*, qui cognoscunt evidenter rationem entis existentis in Deo: ergo ratio entis inclusi in ente potest concipi evidenter quin concipiantur personalitates divinae. Probat Maior, personalitates divinae non possunt concipi lumine naturæ, quin præsupponatur divina fides; sed in Philosophis antiquis cognoscentibus evidenter ens inclusum in Deo nulla præcessit fides divina, & ad minus potuit non præcedere; ergo antiqui Philosophi cognoscentes evidenter ens inclusum in natura divina, non cognoverunt personalitates divinas, in quibus includitur ipsum ens. Maior est de fide certæ, ut probat P. Gregorius de Valentia *1. tom. in 1. part. disputat. generali de Deo vi Trinit. q. 6. punct. 1.* Minor est evidens: consequentia legitima inferitur. Ergo ratio entis poterit concipi sine suis inferioribus. Patet consequentia. Inferiora entis non sunt de conceptu essentiali illius; sed res potest concipi sine omnibus rationibus, quæ non sunt illi essentielles etiam si ipsa res sit essentialis illis rationibus; nam ideo potest concipi ratio entis existens in Deo sine omnibus personalitatibus, quia licet ratio entis existentis in Deo sit de conceptu essentiali personalitatum, nihilominus personalitates non sunt de conceptu essentiali entis: ergo ratio entis potest concipi sine suis inferioribus etiam si sit de conceptu essentiali illorum, quia illa non sunt de conceptu essentiali illius.

Dices, quod inferiora entis sunt de conceptu essentiali entis, non quia includuntur in ente; sed quia ens includitur essentialiter in illis; atque ideo non poterit concipi sine illis.

Sed contra: ergo etiam relationes divinae hoc modo erunt de conceptu essentiali entis existentis in Deo. Patet consequentia. Ideo per vos inferiora entis sunt de conceptu essentiali entis, quia ens essentialiter includitur in illis; sed ens, quod est in Deo, essentialiter includitur in personalitatibus divinis, quia personalitates divinae sunt essentialiter ens, & non aliud ens præter id, quod est in Deo; ergo ratio entis, quæ est in Deo, includit essentialiter personalitates divinas, vel personalitates divinae sunt de conceptu essentiali entis existentis in Deo: ergo sicut ratio entis existentis in Deo potest concipi sine personalitatibus, etiam si personalitates sint de conceptu essentiali illius; ita similiter ratio entis poterit concipi sine suis inferioribus, quia illa inferiora sunt de conceptu essentiali entis solum per inclusionem entis in ipsis, sicut est ratio entis per inclusionem ipsius in personalitatibus divinis: ergo ratio entis poterit concipi sine per se, & inalicitate: ergo potest præscindi ab illis. Patet ultima consequentia. Præscindi aliquem conceptum ab aliquibus inferioribus, nihil aliud est quam concipi sine illis, sed ens potest concipi si-

na

Quæst. V. Vtrum Ens simpliciter, &c. 147

ne perfectitate, & inalteitate: ergo potest præscindere ab illis.

⁵² Dices, quod etiam si aliquid non sit de conceptu alterius, non potest concipi sine illo, si dicatur relationem ad illud, v. g. etiam si terminus non sit de conceptu relationis, non potest relatio concipi sine termino; sed ratio entis dicit ordinem ad sua inferiora: ergo non potest concipi sine illis.

⁵³ Sed contra primo, quia ratio entis non dicit ordinem ad inferiora ex vi abstractionis mere præcisiuæ: ergo ratio entis potest concipi sine suis inferioribus. Probatur antecedens. Ratio entis solum potest dicere relationem rationis ad sua inferiora non realem; sed hæc relatio rationis non confurgit in ratione superiori per cognitionem mere præcisiuam, sed per cognitionem comparatiuam, vt constat ex dictis ad Logicam: ergo per cognitionem mere præcisiuam ratio superior non dicit relationem ad sua inferiora: ergo ratio entis potest concipi sine suis inferioribus etiam vt terminis. Patet consequentia. Ideo per vos necessario cognoscuntur inferiora entis cognitio entis, quia ens dicit relationem ad sua inferiora, sed ex vi cognitionis mere præcisiuæ ens non dicit relationem ad inferiora: ergo per cognitionem mere præcisiuam potest cognosci ens sine suis inferioribus.

⁵⁴ Contra secundo, etiam si gratis daremus, quod ens diceret relationem ad sua inferiora, & quod non posset concipi sine illis, conceptus entis potest esse simpliciter præcisiuus: ergo nulla est solutio. Probatur antecedens. Si ratio superior non posset præscindi ex eo quod diceret ordinem ad inferiora, nulla ratio superior esset simpliciter præcisa, sed hoc est falsum: ergo relatio rationis superioris ad inferiora non impedit præcisionem simpliciter. Minor est evidens, & illam concedunt omnes aduersarij; quia animal est ratio superior, & est simpliciter præcisiuus. Probatur Maior, omnis ratio superior dicit ordinem ad sua inferiora, sed secundum solutionem datam omnis ratio, quæ dicit ordinem ad inferiora, non potest esse simpliciter præcisa: ergo nulla ratio superior potest esse simpliciter præcisa.

SVBSECTIO II.

Amplius confirmantur dicta.

⁵⁵ Confirmatur; quia Analoga, quæ sunt proprie analogæ, non solum habent nomen commune, sed etiam rationem significatam per nomen; sed si ens non præscinderetur simpliciter, substantia, & accidens solum haberent nomen commune, & non rationem significatam per nomen: ergo non essent proprie analogæ, quod est contra omnes aduersarios. Maior est evidens. In hoc enim distinguitur analogum ab æquivoco, quod æquivoca solum habent nomen commune, non vero rationem significatam per nomen. Probatur minor. Ex vi nominis ens, importatur secundum aduersarios id, quod prædicatur de substantia, & accidenti; sed id, quod prædicatur de substantia, & accidenti, non est vna ratio, sed plures, & tantum est vnum nomen commune: ergo substantia, & accidens solum habent nomen commune, & non rationem significatam per nomen illud. Probatur Maior. Si non importaretur per nomen ens, id quod prædicatur de substantia.

R. P. de Ideph. Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

tia, & accidenti, importaretur aliquid distinctum; sed hoc implicat: ergo, &c.

Dices, quod importatur attributio accidentium ad substantiam; non vero convenientia eorum cum illa.

⁵⁷ Sed contra: ergo ens non potest prædicari de substantia. Patet consequentia. Quod repugnat essentialiter substantiæ, non potest prædicari de illa: sed quod importatur ex vi nominis, ens, repugnat essentialiter substantiæ: ergo ens non potest prædicari de substantia. Maior est evidens. Ideo enim irrationale non potest prædicari de homine, quia irrationale repugnat essentialiter homini. Et ratio huius est manifesta, quia prædicatio affirmativa petit identitatem prædicati cum subiecto ad sui veritatem, sed id quod repugnat alicui subiecto essentialiter, non potest identificari cum illo: ergo id quod repugnat essentialiter alicui subiecto, non potest prædicari de illo. Probatur minor præcipua. Id, quod importatur per ens secundum aduersarios est attributio accidentium ad substantiam, sed attributio accidentium ad substantiam repugnat essentialiter substantiæ: ergo id, quod importatur per nomen ens, repugnat essentialiter substantiæ. Maior est solutio, quam impugnamus. Minor est evidens, quia attributio accidenti ad substantiam est ipsa entitas accidentium, & essentia illorum: sed essentia accidentium repugnat essentialiter substantiæ per identitatem: ergo attributio accidentium ad substantiam essentialiter repugnat substantiæ. Probatur maior. Attributio accidentium ad substantiam est ordo, quem dicunt accidentia ad substantiam: sed ordo, quem dicunt accidentia ad substantiam est essentia accidentium; quia est ordo transcendentalis: ergo attributio accidentium ad substantiam est essentia accidentium; sed essentia accidentium repugnat essentialiter substantiæ: ergo non potest prædicari de substantia: sed ens, vt constat ex solutione data aduersarij, est attributio accidentium ad substantiam: ergo ens non potest prædicari essentialiter de substantia: ergo substantia non est ens: ergo est nihil. Patet evidenter consequentia. Quodlibet est, vel non est: sed substantia non est ens: ergo est non ens; quo quid absurdius in Methaphysica: ergo per nomen ens non importatur attributio accidentium ad substantiam.

⁵⁸ Dices, quod per nomen ens non solum importatur attributio accidentium ad substantiam, sed etiam importatur ipsa substantia.

⁵⁹ Sed contra, si per nomen ens importaretur attributio accidentium ad substantiam, & ipsa substantia, omnis propositio, in qua prædicaretur ens de aliquo inferiori, esset falsa: sed hoc est absurdum: ergo, &c. Probatur Maior. Quotiescumque prædicatur ens de aliquo inferiori, v. g. de accidenti in hac prædicatione: accidens est ens, efficeret hunc sensum, accidens est substantia; sed est falsum quod accidens sit accidens substantia: ergo prædicatio, in qua prædicaretur ens de accidenti, esset falsa. Probatur Maior. Totum illud prædicatur de aliquo subiecto, quod importatur actualiter per prædicatum; sed per prædicatum ens, secundum aduersarios importatur actualiter accidens, & substantia: ergo accidens, & substantia prædicantur de accidenti. Probatur Maior. Ideo de homine prædicatur essentialiter vivens sensibile, substantia, ens, &c. quando prædicatur de illo animal, vt in hac propositione:

T 2 Homo

Homo est animal; quia prædicatum animal importat actualiter vivens, &c. Et ratio huius est manifesta. Quia si prædicatum non tribueretur subiecto secundum omne illud, quod essentialiter importat, iam non esset illud prædicatum, quod prædicaretur, sed aliquid distinctum ab ipso, quia nulla res potest esse sine sua essentia adæquata realiter, nec intelligibiliter, nec in prædicatione, nec extra prædicationem.

60 Confirmatur hoc; quia ideo istæ sunt diversæ prædicationes: Homo est animal; & homo est vivens; quia per primam prædicationem prædicatur essentialiter animal de homine, quia prædicatur secundum totam essentiam suam; & per secundam propositionem nullo modo prædicatur animal, sed aliquid distinctum ab ipso animali, licet sit de essentia animalis: ergo quando prædicatur aliquod prædicatum de aliquo subiecto, debet prædicari secundum totum id, quod dicit ipsum prædicatum essentialiter, & actualiter, alias non prædicabitur ipsum prædicatum, sed aliquid distinctum ab ipso. Tunc sic argumentor: ens per vos importat actualiter, & essentialiter substantiam, & accidens; quia utrumque est de conceptu essentiali entis: ergo quando prædicatur de accidenti, prædicatur secundum omne illud, quod actualiter, & essentialiter dicitur, vel non prædicabitur ens, sed aliquid distinctum ab ente, quod est falsum, ut probatum est; ergo vel ens non includit essentialiter, & actualiter substantiam, & accidens, vel omnis prædicatio, in qua ens prædicatur de inferiori, erit falsa; imo potest esse prædicatio hæretica, quando ens prædicaretur de Deo, quia efficeret hunc sensum: Deus est ens, id est, Deus est substantia, accidens, & creatura; quia omnia illa importantur actualiter, & essentialiter per ens.

60 Respondet Rubius in logica, tractatu de nominum analogia, sub titulo, quoniam modo conceptus analogi continent analogata, num. 45. quod licet conceptus entis includat substantiam, & accidens actu confuso, in prædicatione tamen applicatur singulis iuxta propriam naturam, ut dum prædicatur de substantia, applicatur ei ut primo enti, cui attribuuntur accidentia, & dum prædicatur de aliquo accidenti, applicatur eidem ut attributo substantiæ: sensus igitur huius prædicationis: substantia est ens, est iste, substantia est entitas prima, cui attribuuntur accidentia, & sensus huius propositionis: quantitas est ens, est iste, id est, habet entitatem per modum extensionis attributam substantiæ. Hæc Rubius.

61 Sed contra primo, quia etiam quis posset dicere, quod animal includit actu, & formaliter rationale, & irrationale, & quod quando prædicatur de homine, applicatur ei quatenus est animal rationale; sed qui ita philosopharetur, non esset alio modo convincendus, nisi quia implicat aliquod prædicatum prædicari essentialiter de aliquo subiecto, quin prædicetur secundum totum illud, quod actualiter continet, atqui ens actualiter continet substantiam, & accidens: ergo si prædicatur actualiter de substantia, debet prædicari secundum totum id, quod actualiter continet.

62 Secundo si hæc solutio subsisteret, ens non prædicaretur ut superius sed ut æquale; sed hoc est falsum: ergo ens non prædicatur modo dicto ab adversarijs. Minor est manifesta, quia omne prædicatum, quod non solum est commune

in nomine, & latius patet quolibet inferiori, est superius; sed ens ita se habet, quia non solum nomen est commune, alias esset æquivocum, & præterea latius patet quolibet inferiori: ergo ens est superius. Probatur maior præcipua. Illud prædicatur ut æquale de æquali, quod convertitur cum subiecto; sed illud, quod prædicatur in hac prædicatione, substantia est ens, convertitur cum subiecto: ergo prædicatur ut æquale de æquali. Probatur maior. Ideo hæc prædicatio est æqualis de æquali: Homo est animal rationale; quia animal rationale, quod prædicatur, convertitur cum homine, quod est subiectum. Et ratio huius est evidēs; quia illa sunt æqualia in prædicatione, quæ non se excedunt in prædicatione, quæ non se excedunt in quantitate; sed illud, quod convertitur cum subiecto, non excedit illud in prædicatione; nec exceditur à subiecto, quia de quocumque prædicatur animal rationale, v. g. quod est prædicatum, prædicatur etiam homo, qui est subiectum, & etiam è contra: ergo illud, quod convertitur, prædicatur de illo ut æquale de æquali; sed quod prædicatur de substantia iuxta solutionem datam, convertitur cum illa: ergo prædicatur, ut æquale de æquali. Probatur Minor. Prædicatum huius propositionis: substantia est ens, nihil est aliud quam entitas prima, cui accidentia proportionantur, vel ad quam ordinantur accidentia; sed entitas prima, cui proportionantur, vel ad quam ordinantur accidentia, est substantia, & substantia est entitas prima, cui proportionantur, & ad quam ordinantur accidentia, & de quocumque prædicatur substantia, prædicatur entitas prima, &c. & contra: ergo prædicatum, & subiectum in hac prædicatione: substantia est ens, convertuntur.

Respondet Rub. loco citato esse prædicationem æqualis de æquali simpliciter, & secundum quid superioris de inferiori; in tantum autem esse prædicationem superioris secundum quid, in tantum ens, quod prædicatur de substantia, poterat prædicari de accidenti secundum propriam rationem cuiuscumque subiecti.

Sed contra: ergo nomen æquivocum est etiam superius non solum secundum nomen, sed etiam secundum rem significatam eo modo quo ens est superius. Probatur consequentia, in tantum ens est superius, & prædicatur ut superius, in tantum ita prædicatur proprium prædicatum substantiæ ut possit tunc prædicari de accidenti, proprium prædicatum accidentis, sed quando per hoc nomen canis prædicatur proprium prædicatum de cane terrestri, poterat prædicari de cane marino proprium illius prædicatum; quia hoc dependet à voluntate libera hominis efficientis tales prædicationes, v. g. quando officio hanc propositionem, canis terrestris est animal latrabile, possum efficere hanc: canis marinus est piscis, vel efficiendo hoc modo propositiones: Animal latrabile est canis, & hic piscis est canis: ergo vel ens non est superius, vel quodcumque nomen æquivocum erit superius.

Confirmatur, nomen analogum improprium ideo est tale, & solum habet communitatem nominis, quia non importat aliquid commune, quod prædicetur de omnibus analogatis, licet quando prædicatur de principali analogato per nomen commune prædicatum proprium illius possit prædicari, etiam de minus principali per ipsum nomen

Quæst. V. Vtrum Ens simpliciter, &c. 149

nomen commune proprium prædicatum illius, ut quando prædicatur de Petro quod sit homo, potest prædicari de imagine etiam quod sit homo, applicando illud prædicatum cuiusque subiecto, iuxta propriam suam naturam; sed ens respectu accidentis, & substantiæ secundum Rubium, & alios, qui illum sequuntur, solum habet hanc superioritatem: ergo solum habet superioritatem nominis, & non rei significatæ: ergo vel est analogum improprium, vel æquivocum. Patet consequentia, æquivoca sunt illa, quæ solum habent nomen commune, & non rationem significatam per nomen: sed substantia, & accidens, Deus, & creatura solum habent nomen commune, & non rem significatam, & ad summum tale nomen est illis impositum secundum aliquam similitudinem: ergo sunt æquivoca; & ad summum analogia impropria: ergo nomen ens est æquivocum, & ad summum analogum improprium.

66 Vergetur hoc, si perfectas esset de conceptu essentiali entis, quod prædicatur de substantia, ens esset analogum improprium respectu accidentis, & substantiæ; sed hoc est falsum, ut ipsi adversarii sententur: ergo perfectas non est de conceptu essentiali entis, quod prædicatur de substantia. Probat Maior. Tunc aliquod nomen est analogum improprium, quando forma principalis analogata, in qua analogantur mediata analogata, est intrinsece in principali analogato, & extrinsece in minus principalibus; sed si perfectas esset de conceptu essentiali entis, quod prædicatur essentialiter, forma principalis analogati, in qua analogantur mediata analogata, esset intrinsece in substantia, & extrinsece in accidentibus: ergo si perfectas esset, &c. Maior est evidens. Nam ideo sanum est improprie analogatum secundum omnes adversarios respectu animalis, medicinar, & pulvis, quia forma, in qua analogantur, est intrinsece solum in animali, quod est principalis analogatum, & extrinsece in alijs. Probat Minor, forma, in qua analogantur substantia, & accidens, est ens, quod prædicatur de substantia; sed si perfectas esset de conceptu essentiali entis, quod prædicatur de substantia, illud ens esset extrinsece in accidenti, & intrinsece in substantia: ergo, &c. Maior est evidens; quia forma analogatorum debet esse intrinsece saltem in principali analogato, sed solum ens, quod prædicatur de substantia, est intrinsece in substantia, quod est principalis analogatum: ergo accidens est analogum in ratione entis, quod prædicatur de substantia. Probat Minor, ens, quod prædicatur de substantia secundum adversarios includit essentialiter perfectatam; sed ens includens essentialiter perfectatam, tantum est intrinsece in substantia, & ad summum extrinsece in accidenti: ergo, &c. Probat Minor, quantum ad secundam partem: si ens, quod includit essentialiter perfectatam, esset intrinsece in accidenti, substantia prædicaretur essentialiter de accidenti; sed hoc est absurdum, quia accidens non est substantia: ergo ens, quod includit essentialiter perfectatam, non est intrinsece in accidenti. Maior est evidens, quia quotiescumque aliquid prædicatum est intrinsece in aliquo subiecto, potest prædicari de illo; ideo enim de animali prædicatur perfectas, & ens, quia est intrinsece in illo. Et ratio huius est manifesta, quia prædicari unum de alio nihil aliud est quam affirmare de illo id, quod est in ipsa re, quia ab eo quod res est, vel non est, pro-

positio dicitur vera, vel falsa: ergo si ens, quod includit essentialiter perfectatam, esset intrinsece in accidenti, prædicaretur de illo, quod est falsum: ergo non est intrinsece in accidenti: ergo tantum est intrinsece in substantia: ergo forma principalis analogati est extrinsece in minus principalibus: ergo est analogia impropria, quæ importatur per hoc nomen ens; (& idem argumentum fit de ente, quod prædicatur de Deo, quod solum est intrinsece in Deo, & extrinsece in creatura) & per consequens ens esset analogum improprium respectu Dei, & creaturarum.

Et si dicas, quod perfectas non includitur in 67 omni ratione entis, quod prædicatur de substantia, atque ideo aliquid entis erit intrinsece in substantia, & accidenti.

68 Contra est. Ergo illud, in quo non includetur essentialiter perfectas, posset concipi sine perfectate. Patet consequentia, omnis res potest concipi sine illo, quod non est illi essentialiter, ut probatum est iam; sed perfectas non est essentialis respectu alicuius entis, quod prædicatur de substantia, & accidenti: ergo illud ens potest concipi sine perfectate.

69 Confirmatur hoc, si inferiora entis includerentur in ente, ens significaret plura ut plura, ut æquivocum; sed hoc est falsum: ergo inferiora entis non includuntur in ente. Probat Maior, ens significaret idem quod substantia, & accidens; sed substantia, & accidens significant plura ut plura: ergo ens significaret plura ut plura. Maior est evidens suppositis principiis contrarijs; quia nomina substantia, & accidens significant obiectum, de cuius essentia est perfectas, & inalicitas; sed ens significat obiectum, de cuius essentia est perfectas; & inalicitas: ergo ens significat idem quod substantia, & accidens. Minor præcipua etiam est evidens; quia illa nomina significant plura ut plura, quæ significant obiecta distincta essentialiter, & quæ includunt differentias essentialiter oppositas; sed nomina substantia, & accidens significant obiecta distincta hoc modo: ergo significant plura ut plura. Maior est evidens. Nam ideo hæc nomina, Homo, & equus, significant plura ut plura, quia significant obiecta essentialiter distincta, & quæ includunt duas essentialiter oppositas. Et etiam hoc nomen canis, ideo significat plura ut plura, quia significat obiecta huiusmodi. Et ratio huius est evidens; quia differentia essentialiter distincta plurificant, & diversificant res, in quibus includuntur, quia de conceptu essentiali differentia est plurificare, & facere differre: ergo obiecta, quæ includunt differentias essentialiter oppositas, sunt plura ut plura; sed id, quod significatur per hoc nomen ens, includit essentialiter differentias oppositas: ergo sunt plura ut plura: ergo ens significat plura ut plura. Patet consequentia. Ideo nomen canis significat plura ut plura, quia id, quod significatur per illud, includit differentias essentialiter oppositas, sed id, quod significatur per nomen ens secundum adversarios includit differentias essentialiter oppositas: ergo significat plura ut plura hoc nomen ens.

70 Dices, quod nomen ens significat illa plura, cum convenientia illorum inter se, quod non habet nomen canis, atque ideo non est æquivocum.

71 Sed contra, quia significata per nomen ens, supposita sententia contraria, nullo modo con-

T. 3. veniunt

veniunt nisi in nomine: ergo falsa est solutio. Probat antecedens, quando aliqua significata per aliquod nomen includunt essentialiter differentias oppositas, ita ut nihil sit in illis significatis, quod illas non includat, nullo modo conveniunt nisi in nomine, sed significata per hoc nomen ens ita se habent: ergo solum conveniunt in nomine. Maior meo videri est evidens, nam ideo significata per ipsum nomen ens quatenus extenditur ad significandum ens reale, & rationis, nullo modo conveniunt, nisi in nomine, quia includunt essentialiter differentias oppositas, ita ut nihil sit in illis significatis, quod illas non includat. Minor etiam est evidens supposita sententia contraria. Nam significata per hoc nomen ens, est id, quod prædicatur de substantia, & id, quod prædicatur de accidenti; sed hæc significata includunt essentialiter differentias oppositas, ita ut nihil sit in illis significatis, quod illas non includat, ut aperte farentur adversarij. Imo ideo asserunt non posse præcindi conceptus à substantia, & accidenti, quia quidquid est in substantia essentialiter, includit perfectiorem, & quidquid est in accidenti essentialiter, includit inalieitatem; quia si in accidenti, & substantia daretur aliquid entis, quod non includeret essentialiter perfectiorem, & inalieitatem, illud posset concipi sine illis: ergo significata per hoc nomen ens, includunt essentialiter differentias essentialiter oppositas, ita ut nihil sit in illis significatis, quod non includat essentialiter huiusmodi differentias: ergo illa solum in nomine conveniunt: ergo nomen ens est æquivocum. Pater consequentia. Illud est nomen æquivocum, cuius significata solum in nomine conveniunt: sed significata nominis ens, solum in nomine conveniunt: ergo nomen ens est æquivocum.

72 Confirmatur hoc magis, licet significata alius nominis conveniant inter se, si tamen illud nomen significat illa secundum suas differentias, est nomen æquivocum; sed nomen ens significat secundum adversarios sua significata secundum suas differentias: ergo licet conveniant ipsa significata, nomen ens erit æquivocum. Minor est sententia adversariorum. Maior est evidens, nam licet significata huius nominis canis, conveniant in ratione substantiæ, nihilominus, quia per hoc nomen significantur secundum suas differentias, nomen canis est æquivocum, licet à nobis iam concipiatur convenientia illorum significatorum; ergo, &c.

SVBSECTIO III.

Secunda ratio principalis pro nostra conclusione ponitur.

73 Secundo principaliter sic argumentor; quia ens secundum se est perfectio simpliciter simplex, & modi inalieitatis, & perfecti creatæ sunt imperfectiones, aut ut melius loquar, dicunt imperfectionem; sed perfectio simpliciter simplex potest præcindi ab imperfectione: ergo ens ut sic potest præcindi à modis. Maior sic probatur quoad secundam partem, quia modi inalieitatis, & perfecti creatæ dicunt essentialem dependentiam, & limitationem, &c. sed limitatio, dependentia, &c. arguunt imperfectionem: ergo modi isti sunt imperfecti.

Maior quoad primam partem sic probatur, 74 quia ex Diuo Anselmo in *Mosologia* cap. 5. perfectio simpliciter simplex sic definitur, est melior ipsa quam non ipsa, & quam oppositum ipsius, sed ens secundum se est melius ipsum quam non ipsum, & quam oppositum ipsius. Nam melius est cuiusque rei sive sit creata, sive increata, habere essentiam, & esse, ac proinde esse ens, quam esse nihil, vel quam non esse ens formaliter, seu non habere essentiam, & esse; hoc est, esse negationem essendi: ergo ens est perfectio simpliciter simplex.

Deinde, quia omnis illa ratio, quæ formaliter reperitur in Deo sine oppositione ad aliam existentem in ipso, est perfectio simpliciter simplex, ut omnes Theologi nullo excepto docent, ut videre est in Diuo Thoma 1. part. quest. 4. clarius in Patre Suarez *tomo 1. in 1. partem, lib. 2. de Trinitate, cap. 10. num. 4. & 7.* Idem docet Pater Vazquez *to. 1. 1. part. P. Molina 1. part. disp. 2. P. Heriz, Pater Granado, & alij.* Ideo enim omnia attributa divina absoluta, ut est misericordia, iustitia, &c. sunt perfectiones simpliciter simplices, quia formaliter reperiuntur in Deo sine oppositione cum aliquo prædicato existente in Deo formaliter; e contra vero relationes divinæ non dicuntur perfectiones simpliciter simplices, quia licet non habeant imperfectionem, nihilominus tamen habent oppositionem inter se; sed ens, aut conceptus formalis est: nix reperitur formaliter in Deo: ergo est perfectio simpliciter simplex, & quod sine controversia est debet esse perfectio sine imperfectione, hoc est, nullam in suo conceptu formali, & essentiali includens. Ratio à priori debet esse, quia Deus est infinite perfectus sine vlla imperfectione: ergo non debet continere aliquod prædicatum imperfectionem involvens, alias ab illo imperfectus constitueretur; quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu.

Minor prima & præcipua, in qua est tota difficultas sic demonstratur, quia perfectio simpliciter simplex potest cognosci non cognita imperfectione; sed hoc modo cognosci potest præcindi: ergo perfectio simpliciter simplex potest præcindi ab imperfectione. Maior sic probatur, quia illud, quod essentialiter nec extrinsec, nec intrinsec constituitur ab aliquo, potest sine illo cognosci absolute, sed perfectio simpliciter simplex nullo modo constituitur essentialiter ab imperfectione: ergo potest cognosci sine illa. Maior est evidens, ut in confesso est apud omnes, solum enim aliqua ex illis rationibus impedit vnum cognosci sine alio; relatio enim non potest cognosci sine termino, sive prædicamentalis, sive transcendentalis sit; quia constituitur essentialiter extrinsec ab illo; ex alio capite homo non potest cognosci sine anima, quia constituitur essentialiter intrinsec ab illa; sed perfectio simpliciter simplex nullo modo constituitur ab imperfectione, quod sic probatur; quia illud, quod tanquam constitutum, vel ornamentum Dei est, non potest constitui imperfectione; quia iam in Deo daretur aliqua imperfectio; sed omnis perfectio simpliciter simplex est constitutiva, seu ornamentum Dei: ergo non constituitur imperfectione. Clarius probatur in hac perfectione, de qua loquimur, nimirum de ente secundum se. Quia ens secundum se est de essentia intrinseca Dei tanquam constitutum Dei: ergo si ens constituitur

Quæst. V. Vtrum Ens præscindatur.

151

tur essentialiter ab imperfectione, Deus etiam ab illa essentialiter constituitur. Pater hæc consequentia. Ideo enim constituitur, v. g. Deus, ente, quia constituitur substantia, quæ substantia constituitur etiam ab ente; hoc enim fundatur in illo principio, Dici de omni, & dici de nullo; quia quidquid est de essentia superioris constitutivum, est de essentia inferioris constitutum; sed ens constituitur essentialiter ab imperfectione: ergo Deus, qui constituitur essentialiter ab ente, constituitur essentialiter ab imperfectione; quod est falsum.

77 Declaratur hoc, quia opposita essentialiter non possunt ad invicem constitui, sed imperfectio est opposita perfectioni, quia est carentia perfectionis: ergo imperfectio non constituit essentialiter perfectionem, ens nimirum.

78 Dices, etiam connexionem essentialem impedire cognitionem unius sine alio.

79 Sed contra, quia superior ratio indifferens multis, & quæ multis communicatur oppositis indifferenter, nullam habet connexionem essentialem cum illis, sed ens ut sic est ratio indifferens communis enti creato, & increato, quæ habent oppositionem: ergo nullam habet connexionem cum illis secundum se. Maior sic probatur. Ideo animal nullam habet connexionem cum rationali, vel irrationali, quia est ratio communis indifferens ad utrumque tanquam ad inferius, de cuius ratione est, ut ait Aristoteles, esse extra rationem superioris essentialiter. Clarius exemplum. Ideo potentia ut sic visiva non connectitur essentialiter cum hac, & illa potentia visiva, quia est indifferens ad hanc, vel ad illam potentiam, & non est indifferens ad colorem, vel lucem ut sic; & sic habet necessariam connexionem cum colore ut sic: ergo ratio superior, quæ indifferens est ad opposita, nullam habet connexionem cum illis. Et ratio à priori evidens est; quia cum ratio superior sit completa ut superior est, & sit prior inferioribus in omni ratione, nullam habet connexionem essentialem cum inferioribus, quia quod prius est, non connectitur essentialiter cum posteriori. Huius rationis manifestum est argumentum; quia ideo concipimus adæquate, & totaliter, non conceptis inferioribus, substantiam completam ut sic vivens ut sic, sine tali, vel tali substantia, &c. quia substantia ut sic, cum ut sic sit completa, & adæquata, & prior absolute inferioribus, non potest habere connexionem essentialem cum illis, quia si illam haberet, non posset concipi sine inferioribus: sed concipiuntur de facto inferiora, in sententia omnium adversariorum: ergo ipsi adversarii debent fateri non habere connexionem essentialem.

80 Sed demus, ens ut sic habere connexionem necessariam cum inferioribus imperfectis, ac per consequens non posse cognosci sine illis, nihilominus poterit absolute præscindi: quia præcisio non est absolute non posse cognosci sine alio vnum, alias genus, vel species ut genus, vel species, v. g. animal cum relatione rationis ad inferiora, adhuc sub illa relatione non posset concipi ut præcisum ab illis inferioribus, quia ut sic habet necessariam connexionem relationis cum illis, sed nihilominus ut sic præscinditur, quia adhuc universale ut universale relativum postquam habet relationem contrahitur: ergo ante contractionem præsupponebatur abstractum, &

præcisum; quia impossibile est quod detur contractioni alicuius, quin præcesserit abstractio ante contractionem; sed animal sub formali relatione universalitatis est præcisum, & nihilominus relatum ut relatum dicit connexionem necessariam, quæ connexio necessaria non potest dari sine illo, cum quo dicit connexionem: ergo præcisio ut præcisio potest stare cum aliquo, quod cognoscitur cum alio. Quid autem, his suppositis erit præcisio? Dico præcisionem esse cognitionem unius sine aliquo intrinsece constituyente illud, licet cognoscatur cum alio, quod non constituit intrinsece illud. Et ideo omnipotentiam Dei cognoscimus præcisam à creaturis, quia licet cognoscamus illam, & creaturas necessario, illas creaturas cognoscimus non tanquam intrinsece constituentes omnipotentiam, vel componentes aliquid vnum cum omnipotentia: ergo similiter licet ens concipiatur cum substantia, & accidenti propter necessariam connexionem, cum ipsum ens possit concipi primo tanquam quid non constitutum per accedens, & substantiam, vel tanquam aliquid non componens cum perfectate, & inalietate, potest præscindi simpliciter ab illis.

Urgetur, quia si ens includeret per se actu imperfectionem, non esset perfectio simpliciter simplex. Quia illa est perfectio simpliciter simplex, quæ est pura perfectio sine admixtione imperfectionis, quia perfectio simpliciter simplex est bonum absolute: sed bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu: ergo perfectio simpliciter simplex non habet admixtam imperfectionem, & à fortiori non constituitur illa: & ideo creatura quæcumque licet habeat vitam ut sic, & sapientiam ut sic, quæ sunt perfectiones, quia constituitur imperfectione dependentiæ, & habet admixtam illam, non est perfectio simpliciter simplex: ergo si ens constituitur imperfectione, non erit eiusmodi perfectio.

Dices, ens ut sic non esse perfectionem simpliciter simplicem, sed abstrahere à perfectione, & imperfectione.

Sed contra, quia hoc est contra verba expressa 81 Divi Anselmi in *Prologo*, cap. 5. ubi definiens perfectionem simpliciter simplicem, his verbis illam definit: (& quidquid melius est esse, quam non esse.) Vnde pro materia definitionis posuit esse, & non esse ut sic: Sed esse, & ens sunt idem formalissime: ergo si definitio perfectionis simpliciter verificatur ut in materia, in esse ut sic: quia melius est esse, quam non esse; verificabitur etiam necessario in ente, quia ens synonymum est esse; & ens melius est quam non ens. Item, exemplum, quod posuit Divus Anselmus paulo post ad verificandam definitionem, sic se habet: Melius est esse iustum, quam non iustum, beatum, quam non beatum. Vnde posuit exemplum in iustitia ut sic, & beatitudine ut sic; quæ licet sint rationes abstractæ à creatis, & increatis, nihilominus, quia iustitia ut sic est melius quam non iustitia, & in se ut sic est perfectio simpliciter simplex, sed absolute melius est esse ens, quam non esse iustum ut sic, respectu cuiuscunque absolute, & est melius quam non ens: ergo absolute est perfectio simpliciter simplex. Item, quia perfectio simpliciter simplex est illa, quæ absolute perfectio est sine eo quod includat imperfectionem; sed ens quatenus per vos abstrahit ab imperfectione, non includit imperfectionem; & ex alio

capite

capite est perfectio esse ens, ut supra probavimus: ergo est perfectio sine imperfectione: ergo est pura absolute, & simpliciter perfectio, sicut Angelus, quia ex una parte est spiritus, & ex alia parte nullam habet admixtam corporeitatem, est pure, simpliciter, & absolute spiritualis.

83 Dices, licet ens includat accidens, & substantiam esse perfectionem simpliciter simplicem, quia habet indifferentiam sub proportionem ad perfectionem simpliciter simplicem, & ad imperfectionem.

84 Sed contra manifeste; quia sequeretur ex hoc animal ut sic esse rationale, licet non includat rationalitatem, quia habet indifferentiam sub proportionem ad rationale, & ad brutum, quod est falsissimum; sed talis indifferentia in animali potius facit ut animal secundum se ex eo quod præcinditur à rationali, & à bruto, & ratione talis præcisionis, non includit rationale, non sit tale, sed potius si esset rationale, non esset indifferens ad brutum, quia quod indifferens alicui, non potest habere rationem oppositam illius, cui tanquam indifferens communicatur; unde homo, quia rationalis est, & habet rationalitatem oppositam bruto non habet indifferentiam ut illi communicetur, sed animal quatenus indifferens est, & ex vi suæ indifferentiæ potest communicari bruto: ergo ex vi suæ indifferentiæ non petit rationalitatem, ac proinde non petit esse secundum se aliquid ex membris, quibus potest se communicare ex vi talis indifferentiæ.

85 Tunc sic, ens per vos est indifferens ad substantiam, & accidens, ac proinde ad perfectionem simpliciter, & ad imperfectionem: ergo sicut ratione tali indifferentiæ non est accidens nec substantia, ita similiter non erit ratione talis indifferentiæ ad perfectionem simpliciter, & ad imperfectionem perfectio simpliciter, sed potius ex alio capite debet esse perfectio simpliciter, unde falsa est solutio.

86 Secundo, quia illa indifferentia sub proportionem nihil aliud est per vos nisi quod ens possit prædicari tam de accidenti, quam de substantia indifferenter, sed cum hac proportionem ut de substantia prædicetur primum, & principaliter ens, de accidenti minus principaliter, non sit, neque contingit quod ens sit una res, quæ habeat perfectionem sine imperfectionem, sed solum facit quod per unum nomen significantur Deus, & creatura; quod non est esse perfectionem simpliciter simplicem, sed potius esse duo obiecta, unum absolute perfectum, aliud imperfectum: ergo licet ens habeat indifferentiam sub proportionem ad accidens, & substantiam, non est ex vi præcisionis talis indifferentiæ perfectio simpliciter simplex.

87 Dices: ergo ens non est perfectio simpliciter simplex ullo modo, quia id, quod est indifferens ad aliquas species, non potest esse illa ex illis; sed ens est indifferens ad perfectionem simpliciter simplicem: ergo non potest esse perfectio simpliciter simplex.

Ad hoc respondeo, ens, ut sic non eodem modo esse perfectionem simpliciter simplicem, ac est species, ad quam contrahitur, sed alio modo, ac proinde posse contrahi ad illam, v. g. dispositio ut sic, quia non est eodem modo dispositio ac particularis species dispositionis opposita, aut distincta ab habitu, qui est alia species, potest

contrahi ad dispositionem, quæ est species eiusdem nominis cum suo genere, in quo omnes Doctores conveniunt, sed licet ens conveniat in nomine perfectionis, nihilominus est alio modo perfectio, ac est particularis species perfectionis: ergo bene potest contrahi ad illam, & ad aliam oppositam illi, ut in exemplo dispositionis clare patet. Distinctus autem modus in hoc consistit, quod ens sit perfectio simpliciter ex eo quod excludat suum oppositum excedendo illud in perfectione; ens enim est perfectio simpliciter simplex, quia excedit non ens ut sic, & nihilum; substantia autem, quæ contrahit ens ut sic, & est perfectio magis particularis, dicitur talis, quia excedit non substantiam, & accidens ut sic, quæ sunt opposita illius. Unde cum tota ratio perfectionis simpliciter simplicis sumatur in ente, & in inferioribus illius ab oppositis, quæ sunt diversa; ita etiam diversa est ratio perfectionis simpliciter simplicis in ente, ac in inferioribus illius, quo impugnata manet, & soluta obiectio adversariorum.

Dices, ens esse perfectionem simplicem, non 88 ex eo quod totum, quod dicitur, sit perfectio, sed ex eo quod aliquid illius est tale.

89 Sed contra, quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu: ergo ad hoc ut sit perfectum simpliciter simplex aliquid, non debet esse per aliquam partem illius, sed per totum, quod signum ficitur illo nomine perfectionis. Quis enim dicit ens esse Deum, quia quædam pars entis est Deus? Neque quis dicit hominem esse incorruptibilem, & spiritualement, quia una pars est talis. Et ratio à priori est, quia illa denominationes sunt perfectæ simpliciter, unde non ex aliqua parte, sed ex integritate illius tale debet nominari. Unde falsum est ens dici perfectum propter Deum, quia ens non est Deus, sed ratio, in qua vere, & realiter conveniunt Deus, & creatura, & quæ essentialiter de utroque prædicatur, hæc autem ratio, in qua conveniunt formaliter, non est Deus, nec creatura ut creatura, quia Deus, ut Deus, & creatura ut talis sic primo differunt, & in ratione entis primo, & per se, & absolute conveniunt: ergo est alia superior his; illa autem ut sic, & propter virtualiter distincta à creato, & increato, & quæ hoc nomine significatur, nimirum nomine entis. De illa igitur interrogo; an sit melior ipsa, quam non ipsa? vel non? Si prius, est perfectio simpliciter simplex ut sic, sed ut sic non est Deus, sed aliqua ratio superior Deo, & creatura, quia est indifferens & prædicatur essentialiter de utroque: ergo ens ut sic, & non propter Deum est perfectio simpliciter simplex: ergo ut sic non includit differentias, quia admisceretur imperfectione illarum. Unde non esset pura, nec simpliciter perfectio. Nec secundum potest dici; quia absolute, ut ante probavimus, melius est habere entitatem quam esse nihil, vel non habere illam, præcipue cum ratio entis sit præsuppositum essentialiter ad omnem perfectionem. Unde propter hanc rationem absolute, & simpliciter perfectio est.

90 Nec obstat dicere, illam perfectionem simpliciter simplicem non posse præcindi ab illis imperfectionibus propter transcendentiam, quia iam demonstratum manet, transcendentiam non tollere præcisionem non mutuam ex parte ipsius transcendentis: ergo nulla est solutio.

Tandem

91 Tandem efficacius argumentor contra adversarios, & suppono ens de se non esse perfectionem simpliciter simplicem, sed potius praescindere a perfectione simpliciter simplici, & ab imperfectione; nihilominus tamen non potest negari, quin ens ut sic non includat in se imperfectionem; quia alias, ut supra probatum manet, Deus essentialiter constitueretur imperfectione, quia Deus essentialiter constituitur ens; sed ens per vos dicit imperfectionem: ergo Deus constituitur illa, v. g. quia accidens constituitur inalicitate, & inalicitas dicit imperfectionem, accidens necessario dicit illam. Item, quia creatura constituitur in esse talis per dependentiam in actu primo, & dependentia in actu primo dicit imperfectionem, creatura necessario debet constitui imperfectione. Clarius: homo constituitur ab animali, sed animal dicit rationem viventis; ergo homo constituitur ratione viventis.

92 Ergo similiter, si Deus constituitur ente, & ens dicit imperfectionem, ens constituitur imperfectione; sed hoc est haeticum; ergo nullo modo ens constituens Deum dicit imperfectionem, sed potius est perfectio, quae in suo conceptu non includit ullam imperfectionem, sed potius a sua essentia excludit illam: ergo potest concipi sine illa, ut patet ex supradictis, quia quando aliquid non constituitur ab aliquo conceptu inferiori, sed potius a sua essentia, excludit illum, potest illud superius concipi sine inferiori, ut v. g. quia animal ut sic non includit in suo conceptu essentiali rationem, potest concipi sine rationali, sed ens ut sic etiam non sit perfectio simpliciter simplex, nihilominus non includit in suo conceptu essentiali imperfectionem: ergo potest concipi sine tali imperfectione, atque differentiae creatae, & inalicitates sunt imperfectiones: ergo ens potest cognosci sine illis; sed cognosci vnum sine alio, est praescindi ab illo: ergo bene potest ens praescindi a differentijs.

SVBSECTIO IV.

Tertia ratio principalis ponitur.

93 O Vato sic argumentor. Audito hoc nomine ens, ut ipsa experientia docet, mens non distrahitur ad plura, sed colligitur ac concipiendum id quod potest existere: ergo ens solum dicit id quod potest existere. Patet consequentia. Illud dicit ens actualiter, quod concipitur audito hoc nomine ens; sed audito hoc nomine ens solum concipitur, quod potest existere, vel cui non repugnat existere: ergo ens solum importat actu litem, id quod potest existere, vel cui non repugnat existere. Probatur Minor, si ens exprimeret actualiter aliud praeter id quod potest existere, vel id esset substantia, vel accidens; Deus, vel creatura, vel omnia, quae transcendit ens; sed non est maior ratio de vno, quam de alijs: ergo solum importatur id quod potest existere. Probatur minor, quia omnia illa equaliter transcendit ens; sed ideo secundum adversarios, quando concipitur ens, debent concipi inferiora illius, quia transcenduntur ab ente: ergo conceptu ente necessario debent concipi illa omnia inferiora, & omnia individua existentia a parte rei, quia omnia transcenduntur ab ente, & ad minus debent concipi omnia individua, inter quae non datur analogia, sed hoc est absurdum contra ipsam experientiam. Tum quia inferiora, quae ab ente transcenduntur, sunt pene infinita. Tum & maxime, quia multoties cognoscimus aliquid esse ens, & dubitamus, vtrum sit substantia, vel accidens: Et multoties negamus esse substantiam id quod a parte rei est substantia: ergo quando concipitur ens, non concipiuntur omnia inferiora illius.

Dices, quod quando concipitur ens, & non concipiuntur omnia inferiora, non concipitur ens adaequate.

94 Sed contra, quia tunc aliquis conceptus communis concipitur adaequate, quando de illo cum veritate potest intellectus universaliter affirmare definitionem essentialem: sed intellectus potest universaliter affirmare de ente cum veritate definitionem essentialem illius: ergo concipitur ens adaequate. Maior est evidens. Ideo cum animal concipitur adaequate secundum conceptum essentialem animalis; non conceptis inferioribus illius, quia de illo potest intellectus cum veritate universaliter affirmare definitionem essentialem illius. Ut in hac propositione: omne animal est vivens sensibile; & ratio huius est evidens, quia si intellectus non conciperet adaequate essentiam animalis, non posset cognoscere definitionem essentialem illius: ergo non posset scientificae illam praedicare de illo; quia posset dubitare, vtrum illa esset definitio essentialis animalis, vel non. Probatur Minor praecipua. Intellectus affirmat scientificae universaliter, & cum veritate quod omne ens non repugnat existere, sed definitio essentialis entis est quod non repugnat existere: ergo intellectus praedicat universaliter, & scientificae cum veritate de ente definitionem essentialem illius. Ut in hac propositione: omne ens non repugnat existere: ergo intellectus concipit adaequate conceptum essentialis entis: ergo illum potest concipere sine omnibus inferioribus. Patet consequentia, conceptus adaequatus essentialis entis est independens ab omnibus suis inferioribus: ergo potest concipi sine illis. Probatur antecedens. Tunc aliquis conceptus est independens a suis inferioribus, quando indiscriminatim potest concipi sine omnibus illis, v. g. Ideo conceptus animalis est independens ab omnibus suis inferioribus, quia indiscriminatim potest concipi, & esse sine omnibus suis inferioribus, sed conceptus entis potest concipi indiscriminatim, & esse sine omnibus suis inferioribus, quia non requirit necessario ad sui cognitionem adaequatam cognitionem alicuius inferioris in particulari determinate: ergo conceptus entis est independens ab omnibus suis inferioribus: ergo potest concipi sine omnibus illis. Patet consequentia. Ideo animal potest concipi sine omnibus suis inferioribus, quia in conceptu suo essentiali adaequato est independens ab omnibus suis inferioribus indiscriminatim. Et clarius: Ideo ens, quod est in Deo, potest adaequate, & essentialiter concipi sine personalitatibus divinis, licet illas transcendat, ut probatum est, quia est independens ab illis indiscriminatim; sed ita se habet conceptus entis respectu suorum inferiorum: ergo potest concipi sine illis: ergo & praescindi ab illis. Patet ultima consequentia. Praescindi vnum conceptum ab alio, nihil aliud est quam concipi vnum sine alio; sed ens potest concipi sine suis inferioribus: ergo potest praescindi ab illis.

V Dices;

96 Dices, quod audito hoc nomine ens, mens concipit præcipua analogata, scilicet Deum, creaturam, substantiam, & accidens.

97 Sed contra. Et in primis hoc est contra manifestam experientiam, ut quilibet in se potest experiri. Deinde sic argumentor: vel quando concipitur creatura audito nomine ens, concipitur creatura ut sic, non conceptis omnibus inferioribus illius, quæ transcenduntur à creatura, vel concipiuntur necessario omnia illius inferiora? sed non primum, neque secundum: ergo falsa est solutio. Probatur Minor quantum ad primam partem. Si conciperetur creatura ut sic, & conciperentur inferiora illius: ergo daretur non conceptus præcisus creaturæ ut sic: ergo transcendentia, & analogia non impediunt conceptum simpliciter præcisum. Patet evidenter vltima consequentia. Creatura est conceptus analogus, & transcendens, sed creatura præscinditur simpliciter: ergo transcendentia, & analogia non impediunt præcisionem simpliciter: ergo licet ens sit analogum, & transcendens, potest præcindi simpliciter à suis inferioribus. Probatur Minor quantum ad secundam partem, omnia inferiora creaturæ sunt pene infinita, ut dictum est, sed intellectus audito hoc nomine ens, non concipit illa omnia pene infinita, ut ipsa experientia patet. Quis enim rationabiliter potest affirmare, quod quando à me audit ens, cognoscit omnia obiecta creata: ergo audito hoc nomine ens, non concipiuntur omnia inferiora creaturæ: ergo neque aliqua in particulari. Tum quia esset contra solutionem, quam impugnamus, quæ asserit concipi tantum præcipua analogata. Tum quia volutarie assignaretur vnum inferius potius quam aliud. Tum, & maxime, quia dantur multa inferiora entis, quæ nunquam cognovit intellectus, & quorum non datur species in illo: ergo non potest illa cognoscere: ergo bene potest concipi ens sine illis, in quibus includitur essentialiter: ergo potest præcindi ab illis, & idem argumentum fit de accidenti, & de substantia, quæ sunt analogæ secundum adversarios, & transcendunt vltimas differentias.

SVBSECTIO V.

Quarta ratio principalis ponitur.

98 Q Varto sic argumentor. Quia si propter aliquam rationem ens non abstraheretur ab accidenti, & substantia, maxime quia in ipso ente actu includuntur perfectas, & inaleitas; sed nec clare, nec confuse includuntur differentia actu: ergo ens præscinditur à differentiis perfectas, & inaleitatis. Maior est ipsa sententia adversariorum. Minor sic probatur, quod non includuntur actu expresse, nam in ipso conceptu entis, vel, ut melius loquar, quando concipio ens ut sic expresse, & clare, non concipio illud esse ens per se, vel in alio; nec concipio tunc eo modo, quo concipio per hæc nomina, & per hos conceptus formales substantia, accidens; sed potius concipio illa confuse secundum rationem aptitudinis, ad existendum, in qua conveniunt, sine eo quod exprimitur in particulari, an sit aptitudo independentis à subiecto, vel dependentis: ergo. Quod autem confuse actu non includuntur, sic patet, quia illud, quod metaphysice cognoscitur reduplicative præcise, cognoscitur

solum secundum essentialia; quia, ut ex Summis patet, idem est propositio reduplicativa, ac in sensu essentiali; & ideo hæc propositio falsa est: Homo ut homo est risibilis, vel ut sine dubitatione loquamur: Homo ut homo est sapiens: unde solum includit vel expresse, vel confuse prædicata essentialia, & non alia, quæ non sunt de illius essentia; sed in hac cognitione ens ut ens est aptum ad existendum: sumitur ens reduplicative: ergo sive confuse, sive expresse solum includit essentialia. Tunc sic: de essentia entis non sunt differentia; nec modi creati, nec increati: ergo modi creati, &c. non includuntur, &c. Antecedens sic probatur, quia illud est de essentia alicuius, sine quo nec conservari, nec cognosci potest illud, de cuius essentia est, v. g. Deus non potest concipi, nec conservari sine existentia exercita; nec substantia potest concipi, nec conservari sine perfectitate, quia sunt de essentia illorum. Et contra, quantitas panis potest conservari, & concipi actualiter sine substantia panis in Eucharistia, quia ipsa entitas panis actualis non est de essentia ipsius quantitatis: sed ratio entis datur, & conservatur in Deo simpliciter, & perfecte sine differentia creati; & in creatura datur, & conservatur simpliciter sine differentia, & modo increati: ergo de ratione entis, & eius essentia non sunt modi creati, & increati.

Explicatur hoc: quia omnis ratio superior, & communis multis oppositis non constituitur essentialiter per sua inferiora; nam ideo dixit Aristoteles, quod inferius est extra rationem essentialem superioris: sed ratio entis est communis Deo, & creaturis tanquam inferioribus habentibus in se oppositionem: ergo non constituitur illis, nec differentiis illorum, quia si illis constitueretur, & differentiis constitueretur, v. g. quia homo constituitur animali, constituitur essentialiter sensibili, quæ est differentia animalis. Probatur Maior sic. Ideo animal non constituitur essentialiter ab equo, & ab homine, nec à suis differentiis; & ideo substantia ut sic non constituitur essentialiter à substantia completa, & incompleta, nec à differentia completi, & incompleti, quia animal, & substantia sunt rationes superiores respectu inferiorum habentium oppositionem; & sicut in vna, eademque entitate non possunt reperiri oppositiones, sic etiam in ratione animalis, vel substantia, cum vnaqueque illarum sit vna, & eadem ratio, non potest in se continere inferiora actu, quia in se haberet oppositiones illorum: & quia si ratio completi, & incompleti esset de essentia substantia ut sic, quando substantia ut sic prædicatur de anima, de anima etiam prædicaretur ratio completi, & ratio completi esset de essentia animæ; quia quidquid est de essentia prædicati, est de essentia subiecti: & ideo omnis ratio, quæ magis late patet quam alia, non continet actu confuso, nec expresse illa, respectu quorum est communis, sed tantum potestare, & virtute. Explicatur hoc totum exemplo Dei, v. g. Quia eadem ratio Dei, quæ reperitur in paternitate, reperitur etiam in filiatione; sed illa ratio divinitatis, quæ est communis utrique relationi, & de utraque prædicatur, nec actu confuso, & expresse continet actu in sua essentia, ita ut sit de essentia Dei ut sic paternitas, vel filio, quia illud solum reperitur in essentia communi multis metaphysice considerata, vel actu confuso, vel expresse, secundum quod

quod potest salvari illa essentia cum sua indifferentia in quocumque individuo, & in quacumque ratione, & ubicumque, unde si in aliqua ratione, vel individuo salvatur illa essentia sine aliquo, signum evidens est, illud, sine quo salvatur, nec confuso, nec expresse includi actu in illa essentia, ubi tantum prædicata essentialia sive confusa, sive expresse debent reperiri. Et ideo dicimus si essentia hominis necessario includi non solum animal, & rationale, sed etiam actu confuso rationem viventis, corporis, substantiæ, &c. quia essentia hominis nullibi potest esse, nec concipi sine ratione viventis, corporis, substantiæ, &c. sic similiter Deus non includit nec actu confuso, nec expresse in sua essentia tanquam prædicatum quidditativum ipsius, filiationem, vel paternitatem, quia essentia Dei completissime reperitur in paternitate sine filiatione, & in filiatione sine paternitate, & in spiratione passiva sine utraque alias sequeretur illud inconveniens, quod diximus, nempe quod de filiatione prædicaretur essentialiter paternitas; unde paternitas esset idem quod filio, quod aperte hæreticum est. Pater hoc, quia ideo prædicatur de paternitate ratio entis, substantiæ, & spiritus, quia sunt in essentia Dei actu, licet confuso: ergo si filio est etiam actu confuso in essentia Dei; filio prædicatur essentialiter de paternitate, ut prædicatur ens, & vivens, quæ actu confuso sunt. Mains inconveniens; essentia Dei non posset esse in filiatione, nec posset communicari filio, si paternitas esset actu confuso de essentia divinitatis. Unde tolleretur indifferentia essentia ad essendum in Patre, & in filio. Probatur nunc illud inconveniens, quia eo modo debet esse res in aliquo; quo petit essentia illius, & secundum omnia prædicata essentialia sive actu expressa, sive confusa: ergo si divinitas deberet esse in filiatione, necessario deberet esse cum paternitate, quæ actu est in ipsa essentia essentialiter; sed filio non est capax habendi paternitatem: ergo non est capax habendi divinitatem, in qua necessario, & essentialiter actu, licet confuso est paternitas, v. g. quia color est incapax essendi animal rationale, est incapax essendi Petrus; quia ad hoc ut aliquid sit Petrus, debet necessario esse hominem. Unde divina essentia non potest esse in filiatione. Ex quo tolleretur indifferentia, & communitas divinæ essentia: ergo si ens ut ens est ratio superior communis, & indifferens ad accedens, & substantiam, si quidem, & ratio entis prædicatur de substantia, & de accidenti: ergo in ratione entis essentialiter, & metaphysicè nec includitur perfectitas, & inalicitas, nec ratio creati, & increati.

99 Ex his omnibus colligitur, quoddam discrimen, quod inter confusam cognitionem hominis reperitur respectu suæ definitionis, & inter confusam cognitionem entis respectu accidentis, & substantiæ; nam homo, quomodocumque cognoscatur, semper includit actu animal, & rationale, à quibus nullo modo potest abstrahi; nam si actu confuso cognoscitur homo, actu confuso continet animal, & rationale; si autem cognoscatur clare essentia hominis, actu, clare, & expresse dicit animal, & rationale. Et ratio evidens à priori est, quia homo constituitur adæquate, & essentialiter animali, & rationali. Et ideo adæquate convertitur cum animali, & rationali. Quod patet ex mutua prædicatione: homo est animal rationale; animal rationale est homo. Ex quo

R. P. I. deph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

sequitur hominem minime esse indifferentem ad animal rationale, & ad aliud; nam si esset indifferens ad hoc, & ad illud, posset conservari adæquate in hoc sine alio, & in alio sine hoc; unde non dependeret in suo esse, & cognosci nec ab hoc, nec ab alio; unde posset præscindi ab utroque; sed ut sic præscinditur habet suam adæquatam essentiam: quia nihil potest esse adæquate sine adæquata essentia: ergo evidenter colligitur non constitui actu essentialiter animali rationali. Tunc sic: ens habet oppositas omnino homini rationes, quia ens est indifferens simpliciter Deo, & creaturis, accidenti, & substantiæ; nam accedens, & substantia conveniunt vere, & simpliciter in ratione entis, & magis late patet ens, quam accedens, & substantia: Et hoc evidenter colligitur ex non mutua prædicatione; nam non est verum dicere ens est accedens, vel ens est substantia: & sic contrahitur tam ad accedens, quam ad substantiam indifferenter; unde habet rationem superioris communicabilis respectu inferiorum; & sic inferiora secundum axioma Aristotelis erunt extra rationem entis, & ens non constituitur essentialiter illis; nam ens conservatur, ut diximus, adæquate, & perfecte in substantia, & in accidenti, ita ut in accidenti sit proprie, & simpliciter ens sine substantia, & in substantia sine accidenti, unde absolute non dependet secundum suam essentiam, neque à substantia, nec ab accidenti: ergo poterit cognosci sine accidenti, vel substantia: ergo poterit præscindi ab illis, quia hæc est definitio præcisionis.

Dices, totum nostrum principium falsum esse, 100 nimirum per rationem entis habere aliquod obiectum unum, quod per unum nomen entis significetur; nam quando concipimus ens, non concipimus aliquam rationem communem utrique, sed concipimus immediate substantiam, & accedens, creatum, & increatum; quia cum illa ratio entis sit transcendens, non potest intellectus sistere in ratione communi entis, nisi necessario terminetur à creato, & increato.

Contra, & interrogo, an quando intellectus 101 concipit creatum, terminatur in illo conceptu communi creaturis, vel non terminatur, nisi cognoscit omnes creaturas tam possibiles, quam actuales, tam specificè, generice, quam individualiter; si dicatur primum: ergo etiam potest sistere intellectus in ratione præcisa entis; quia ideo non sistit in ratione præcisa entis; quia ens transcendit Deum, & creaturam; sed etiam licet creatura ut sic transcendat omnes creaturas, & omnes differentias creaturarum usque ad ultimam rationem indivisibilem, & participatur in eorum sententia per prius à substantia creata, quam ab accidenti creato; & non obstante hac transcendentia, & participatione, intellectus sistit in ratione creaturæ ut sic: ergo etiam intellectus potest sistere in ratione entis ut sic sine eo quod terminetur ad hanc, vel ad illam rationem entis. Si dicatur secundum: ergo intellectus una cognitione percipit, & penetrat infinitas creaturas actu naturaliter; sed hoc est absurdum, & contra ipsam rationem; ergo absurdum erit illud, ex quo sequitur. Probatur illud inconveniens. Quia quando cognoscitur per vos aliqua ratio transcendens, v. g. ens, non potest sistere intellectus in ratione illa transcendens, & ideo cognoscit etiam substantiam, & accedens, quæ transcendit; sed creatura ut sic, quæ transcendit infinitas creaturas

ras possibiles actu, & creaturas actuales, & futuras, & infinitas differentias illarum creaturarum; (quia de quacumque licet minima differentia creaturæ sive possibilis, sive actualis, sive futuræ verificatur hæc propositio) est creatura; ergo ratio creaturæ transcendit omnes creaturas, sed omnes creaturæ sunt infinitæ actu: ergo si intellectus quando cognoscit creaturam ut sic, cognoscit omnes illas rationes, quas transcendit creatura, cognoscit naturaliter infinitum in actu, quod est absurdum tam contra Philosophos, quam contra Theologos; nam ipsi Theologi scholastici nec animæ Christi hoc præilegium concedere volunt circa omnes infinitates creaturarum; quia omnes unanimiter dicunt, ex hac concessione colligi à posteriori comprehensionem divinam.

Dices, in illo conceptu creaturæ non representari omnes possibiles.

102 Sed contra; quia ratio creaturæ omnes actuales, & possibiles comprehendit sua transcendentia, quia non datur medium inter ens creatum, & increatum; sed illæ omnes creaturæ non sunt ens increatum: ergo sunt ens creatum: ergo ratio creaturæ transcendit omnes: ergo si ratio formalis, quare non potest sibi in creatum ut sic, est transcendentia illius, & transcendentia illius est per omnes creaturas: ergo non potest terminari illa cognitio nisi in omnibus creaturis; quia non est maior ratio quare terminetur in una, quam in alia; imo est necessaria ratio non terminandi in aliquibus, sed in omnibus, quia in omnibus datur illa transcendentia.

103 Declaratur hoc amplius. Quia illa cognitio non solum debet esse confusa rerum creatarum omnium, sed distinctissima, ita ut percipiantur omnes creaturæ, non solum secundum rationes genericas, & específicas, sed etiam secundum individuales secundum proprietates distinctas illorum; ex quo sequeretur esse perfectissimam, & comprehensivam cognitionem totius obiecti omnipotentis divinæ. Probatur hoc, quia comprehensio duplicem rationem exigit: & quod cognitio attingat omne obiectum sine eo quod aliquid sit in obiecto, quod non attingatur à cognitione; & etiam quod talis cognitio sit expresse, & distincte cognoscitiva omnium rerum secundum proprietates, & perfectiones repertas in obiecto, cognoscendo distinctionem unius proprietatis, & perfectionis respectu alterius: sed hoc totum caderet in illam cognitionem: ergo esset perfectissima comprehensio. Maior est evidens. Minor sic probatur; quoad primam partem. Quia cognitio illa perciperet omnes creaturas inclusas in illo obiecto, & etiam cognosceret quidquid est in illis. Cognosceret præterea proprietates omnes, & differentias illarum; unde, & cognosceret distinctiones inter illas; quia impossibile est quod cognoscantur proprietates, & differentia aliquorum, & quod non cognoscatur distinctio illarum; quia ratio formalis distinguendi in aliquo, est differentia illius.

104 Quod autem hæc omnia cognoscantur, sic patet: quia illud totum est sphaera cognitionis, & ad illud totum terminatur cognitio, quod transcendit illa ratio communis; sed ratio communis creaturæ transcendit omnes creaturas tam in communi, quam in particulari, omnes proprietates, & differentias; quia de quacumque proprietate, & differentia, est verum dicere: hæc proprietates,

vel differentia est essentialiter creatura; ergo cognitio, quæ tantum cognoscit quantum transcenditur à creatura, cognoscit etiam proprietates omnes, & differentias in particulari, siquidem transcenduntur in particulari à creatura ut sic, & quatenus una etiam distinguitur ab alia; quia ut sic creatura est.

Secunda pars illius Minoris evidens est ex 105 hæc prima; quia nihil aliud est cognitio expressa, & distincta alicuius, nisi cognitio, quæ terminatur ad illud secundum suas proprietates, & differentias in particulari, & non in communi; Tunc enim cognoscimus Petrum expresse, & distincte, quando non solum cognoscimus illum secundum rationem hominis, sed etiam secundum differentiam Petri cum proprietatibus illius, & quatenus distinguitur à Paulo, & à quocumque: sed illa cognitio cognosceret omnes creaturas in particulari cum suis differentiis, & proprietatibus, cum hæc omnia transcenduntur æqualiter à ratione creaturæ, quæ transcendentia mensura est illius cognitionis; & sic in sententia adversariorum non potest sistere cognitio in ratione entis transcendente substantiam, & accidens, nisi etiam cognoscantur expresse substantia, & accidens cognoscendo, in quo distinguatur substantia ab accidenti.

Item, quia si non expresse cognosceret omnia 106 illa, sed confuse, cognosceret illa sub aliqua convenientia communi sine aliqua distinctione; (quia si cum distinctione cognosceret, distincte, & expresse cognosceret, quia idem est cognoscere cum distinctione, & distincte) ita cognitio illa sistat in convenientia illorum, sive in ratione illa convenientiæ; sed hoc est præcindi rationem convenientiæ à differentiis, cum intellectus concipiat convenientiam sine differentiis, v. g. Ideo intellectus præcindit animal ab homine, & ad equo, quia confuse cognoscit hominem, & equum, in illa ratione naturæ viventis sensibilis, in qua conveniunt homo, & equus, sistendo in illa ratione; & minime percipiendo distinctionem illorum in illa natura; sed hoc totum convenit cognitioni prædictæ: ergo convenit simpliciter esse præcisionem.

Dices, ibi non representari accidens, & substantiam ut sic, quando concipitur ens, sed representari attributionem accidentis ad substantiam.

Sed contra, quia tot sunt attributiones ad substantiam, quot sunt accidentia, sed accidentia sunt infinita; ergo, & attributiones illorum. Unde eadem ratio, quæ militabat ad hoc ut non cognoscerentur creaturæ, & omnia accidentia in particulari; militat ad hoc quod non cognoscantur attributiones.

Et si dicas, cognosci attributionem ut sic, & 109 non infinitas attributiones.

Contra hoc est, quia etiam attributio ut sic est 110 analogia respectu omnium attributionum; nam attributio ut sic est realiter essentia accidentis; quia de essentia accidentis ut sic est, dicere attributionem ad substantiam. Unde erit de essentia accidentis realis, & modalis; Sed essentia accidentis ut sic est analogia ad accidens completum, & incompletum; ad accidens modale, & reale; & ex alio capite transcendit ultimas differentias accidentis; quia de quacumque differentia illius est verum dicere, quod dicat attributionem ab substantiam: ergo, & attributio, quæ formaliter est ipsa

ipsa essentia accidentis, cum sit ordo transcendentalis ad substantiam, erit analogica, & transcendens. Vnde non poterit intellectus sistere in attributione ut sic.

Præterea: quia impossibile est quod cognoscatur attributio ut sic, quin cognoscatur essentia illa, quæ sunt essentialia respectu attributionis; sed respectu attributionis sunt essentialia accidentia, & substantia, substantia extrinsece, accidentia intrinsece: ergo non potest cognosci attributio ut sic sine substantia ut sic, & accidenti ut sic; sicut relatio ut sic non potest cognosci sine fundamento, & termino ut sic, quia sunt de essentia, sive intrinsece, sive extrinsece, relationis; sed per vos non potest cognosci sistendo substantia ut sic, & accidentis ut sic; quia sunt rationes analogicae, & transcendentes: ergo propter easdem rationes non poterit cognosci attributio ut sic.

Viget, quia falsum est dicere in hoc conceptu entis representari attributionem accidentis ad substantiam, quia illud representatur, quod prædicatur quando prædicatur ens; sed quando prædicatur ens de Deo, & creaturis, non prædicatur attributio, quia iam de omnibus tam de Deo, quam de creaturis prædicatur, siquidem tam de Deo quam de creaturis prædicatur ens; sed hoc est falsum: ergo, & illud, ex quo sequitur.

Hæc Minor sic probatur. Quia quando dico: Deus est ens, non prædico; Deus est attributio, nec Deus dicit attributionem; quia nec Deus est ordo transcendentalis, nec Deus ut sic dicit ordinem transcendentalem; & nihilominus de Deo directe, & per se prædicatur ens: ergo ens ut sic non est attributio. Nec etiam quando prædicatur de accidenti, prædicatur formaliter, & directe attributio. Quia non est verum dicere formaliter, accidens est ens: ergo accidens est attributio, sed potius accidens dicit attributionem ad substantiam.

Nec hoc secundum etiam potest dici, quia quædam prædicatur ens de accidenti, non prædicatur aliquod ens in particulari; sed aptitudo ad essendum communis respectu omnium entium; sed attributio est aliquod ens particulare, nam ens prædicatur etiam de attributione, hæc enim est vera prædicatio: Attributio est ens, & est prædicatio superioris de inferiori, cum ens, quod prædicatur de attributione, prædicetur etiam de substantia, & de Deo.

Clarius, quia tunc est prædicatio superioris de inferiori, quando illud, quod est prædicatum, non potest esse subiectum prædicationis directæ; hæc autem indirecta prædicatio esset ens est attributio: ergo attributio est aliquod ens; nam attributio convenit accidenti propter differentiam inaleitatis: ergo quando prædico: Accidens est ens; non prædico attributionem, quia sonaret sic prædicatio: Accidens est aliquod ens; sed hoc est falsum; sicut falsum esset dicere: substantia est ens: ergo substantia est aliquod ens; quia hæc est prædicatio individui vagi; alia autem non est prædicatio nisi rationis communis transcendens: ergo non prædicatur attributio.

Dices cum Herize, prima parte, ubi supra: nos illo conceptu formali entis attingere ex parte obiecti usque ad ultimas differentias non clare, sed confuse; & sic non esse præcisionem.

Sed contra, quia cognitio confusa aliquorum, in sententia authoris huius, simpliciter præcisio est; sed hæc datur in ente: ergo. Maior sic præ-

batur, quia rationale, vel homo, & animal præscinduntur simpliciter à differentiis, tam in sententia huius authoris, quam in omnium; sed non præscinduntur aliter animal, nisi ex eo quod una cognitione confusa cognoscat intellectus omnia individua. Quia, ut hic author asserit in *Logica*, disp. 12. cap. 2. §. 5. nulla datur præcisio ex parte obiecti; quia ex parte obiecti datur multitudo; ex eo enim solum quod confuse omnia illa obiecta cognoscantur in quantum sunt similia, confundendo illa omnia una cognitione confusa, dicuntur præscindi simpliciter; sed illa cognitione confusa entis terminata ad omnia entia individua, cognoscuntur confusione, & confundendo illa omnia sub ratione convenientiæ in ratione essendi: ergo illa ratio essendi simpliciter præscinditur ab inferioribus. Maior est ipsa verba authoris. Minor etiam patet ex verbis ipsius in solutione datis; nam ait, illa cognitio formali entis nos cognoscere obiectum non clare, sed confuse: ergo.

Item, quia impossibile est, quod cognitione confusa usque ad ultimas differentias attingatur obiectum. Nam si attingitur obiectum secundum ultimas differentias: ergo attingitur quatenus habet distinctionem in se ipso illud obiectum, v. g. si quando cognosco ens, ut ipse author ait, ex parte obiecti non est aliquod unum, sed est multitudo entium cognitorum per unam formalem cognitionem, & ex alio capite hæc multitudo cognoscitur secundum ultimas differentias illorum, quæ includuntur in multitudine: ergo cognoscuntur quatenus unum distinguitur ab alio, & quatenus habent distinctionem inter se, cum cognoscantur in illis differentia, quæ sunt rationes formales distinguendi: ergo cognoscuntur distincte, & expresse, vnde minime confuse. Patet clarissime hæc consequentia ex modo nostro loquendi Hispanice. Quia lo mismo es conocer clary expressemente, que conocer con distincion, percibiendo lo que cada uno tiene como proprio, y en que se diferencia de otro. Sed sic est, quod in sententia huius authoris mediante hac cognitione cognoscitur illa multitudo usque ad ultimas differentias. Vnde, & cum distinctione inter illas cognoscendo differentiam uniuscuiusque: ergo expresse, & clare cognoscit illud obiectum: ergo non cum confusione.

Confirmatur, quia illud obiectum ex parte sua realiter nullam habet unitatem, ut ipse author ait: ergo solum habet illam, quam accipit mediante conceptu formali; sed omnia illa entia confuse cognita habent unitatem ab intellectu: ergo ens, quod est omnia illa confuse cognita, est unum. Minor hæc sic probatur. Actus ille confusus formaliter in sententia Patris Herize est unitas entis, sicut actus confusus animalis est unitas animalis per intellectum: ergo ens habet unitatem. Antecedens probatur, unitas intellectus est indivisio obiecti per intellectum, & eius divisio per eundem, à quolibet alio; quia omnis unitas est indivisio rei in se, & divisio à quolibet, &c. sed actus ille confusus entis est indivisio eius, & divisio, &c. ergo est unitas entis.

Probo Minorem. Quia ille actus tunc non dividit substantiam ab accidenti, nec formicam à leone, sed potius adunat in ratione communi entis. Nam divisio obiecti per intellectum ab alijs est clara cognitio cuiuscumque obiecti, ut divisio animalis in rationale, & irrationale, est illorum clare cognitio; quia tunc intellectus unum

ab alio secerit, seu separat; quando vero confuse cognoscit, non dividit, nec separat. Sicut ergo distincta cognitio est divisio, & illi respondent plura obiecta ut plura; ita confusa cognitio est indivisio, & illi respondet obiectum indivisum. Hæc consequentia sic patet. Quia clarus actus, & obscurus, seu confusus tribuunt suis immediatis obiectis oppositas denominationes, & hoc præcise propter confusionem, & claritatem: ergo si actus confusus immediate terminatur ad Petrum, & ad Paulum, illos faciet confuse cognitos: ergo indivisos cognitione; quia indivisio rationis est confusa plurium cognitio; sicut divisio est eorundem clara cognitio; nam si oppositam debent denominationem tribuere, & cognitio clara denominat divisos: ergo cognitio confusa non divisos. In hoc enim consistit oppositio, & si non consistit, dicant adversarii, in quo consistat.

Item, quia ens est formaliter divisum in se per divisionem immediatam in ens creatum, & increatum: ergo ens constituitur in se vel formaliter, vel efficienter indivisum præcise per indivisionem immediatam, non quæ sit à parte rei, quia impossibile est quod homo, & Angelus non dividantur à parte rei: ergo debet esse per indivisionem intellectus per aliquam actionem ipsius; sed in intellectu non datur nisi duplex cognitio, (quæ actio ipsius est terminata ad multa individua): Prima, quæ cognoscit hæc omnia individua ut plura cognoscendo differentiam unius, vel cuiusque, per quam distinguitur ab alio; & hæc est clara, & expressa cognitio, quia cum distinctione cognoscit; hæc autem non potest esse indivisio illorum; quia impossibile est quod eadem actio sit indivisio, & divisio eiusdem.

Alia cognitio est, quæ terminatur ad multa, sed non cognoscit illa ut multa, sed confundit illa, & cognoscit, non secundum proprietates, & differentias uniuscuiusque, sed secundum convenientiam illorum in aliqua ratione communi: Et hæc est adunatio illorum, quæ in se sunt distincta, quia adunantur media illa cognitione, & cognoscuntur tantum sub illa ratione convenientiæ, quasi essent unum; & ideo vocatur indivisio, id est, cognitio faciens esse indivisum illud, quod à parte rei divisum est. Et quia hæc cognitio non cognoscit cum distinctione, sed confundendo obiecta, cognitio confusa vocatur, & per hanc habet unitatem obiectum cognitum; quia non potest habere, ut dictum est, per cognitionem claram, imo per illam obiectum constituitur divisum: ergo per confusam, quæ opposita est illi, denominatur obiectum indivisum, & accipit indivisionem, & unitatem: ergo omnia entia, quæ cognoscuntur mediante cognitione confusa sub ratione convenientiæ, constituuntur in esse unius simpliciter sine distinctione per illam cognitionem formalem confusam.

Dices, hoc argumentum solum probare ens esse unum, non tamen præcise.

Sed contra. Quia nihil aliud est cognosci ut præcise à multis nisi cognosci ut unum sine multitudine; quia nihil aliud est præcise nisi cognitio unius obiecti sine cognitione differentiarum in illo: ergo si cognoscitur ut unum ens, cognoscitur ut præcise.

Nec obstat dicere, non esse simpliciter præcise, quia licet sit unum per illum actum, nihilominus imbibitur in multis realiter, unde redollet pluralitatem.

Sed iam hoc est expulsum supra, quia licet entitas sit transcendens, potest in se ut vna concipi, ut exemplo divinitatis manet supra probatum.

Præterea; quia præcise tota solum est per intellectum: ergo si ut obijciatur illi conceptui intellectus, habet unitatem simpliciter sine aliqua diversitate in seipso; quia ut sic est obiectum actus confusi cognoscentis multa non ut multa, sed unum in ratione essendi, licet à parte rei sit intime in multis, (qui modus essendi non est realis inclusio,) sed identitas cum illis non tollit præcisionem intellectus simpliciter, animal enim, quia est obiectum actus cognoscentis omnia animalia non ut plura, sed ut unum in ratione animalis, non cognitis clare differentijs, est præcise simpliciter, licet à parte rei identificetur cum differentijs plurificandis illud. Quæ identificatio tanta est cum illis, ac entis cum suis differentijs realibus, quia in identificatione non datur magis, & minus.

Ultimo respondet hic author, nimirum illa multa inferiora entis non solum cognosci ut unum, & sub ratione essendi, sed ut multa.

Sed contra, & insurgit argumentum iam factum; nam non erit confusa, sed clara cognitio. Item, sequitur infinita actu cognosci, quod demonstravimus supra. Deinde sic evidenter demonstratur. Quia eadem cognitio respectu eiusdem obiecti naturaliter non potest esse evidens, & vera, & falsa, & probabilis simul, sed illa cognitio, quæ ratio communis cognoscitur, est evidens, & vera; quia evidenter est verum dicere: omnia individua sunt entia realia. Et eadem cognitio, quæ terminatur ad illam, in quantum ratio communis est, terminatur etiam ad proprietates illarum rerum, & ad differentias illarum; quæ idem sunt transcendentaliter cum ratione entis, sed illa cognitio, quæ terminatur ad proprietates, est probabilis, & sepius falsa: ergo si est eadem cognitio cum prima, eadem cognitio erit evidens, & falsa, minor sic probatur. Nam ipsi metaphysici, & Philosophi, qui cognoscunt evidenter adamantem esse ens, & verum, falluntur in tribuendo hanc proprietatem adamanti, nempe demoliri sanguine agni, amethystam etiam liberare ebrietate, quod falsissimum esse experientia constat: ergo eadem cognitio circa idem obiectum, nempe adamantem, esset evidens, & esset falsa.

Clarius hoc convincitur, quia si à longe videamus aliquam entitatem, evidenter cognoscimus esse contradictorium non entis, unde, & esse verum, & nihilominus non cognoscitur evidenter, imo si assertive cognoscatur, false cognoscetur esse hominem, vel equum: ergo si vna indivisibilis cognitio terminetur ad utrumque in illo obiecto, eadem, & indivisibilis cognitio erit evidens, dubitatoria, falsa, & probabilis, quæ proprietates nec respectu diversorum, quanto magis respectu eiusdem, possunt coniungi in eadem cognitione, propter immediatam repugnantiam, & contradictionem in eadem entitate indivisibili. Patet hoc evidenter. Quia nullum daretur argumentum ad distinguendam realiter sapientiam ab opinione, cognitionem erroneam à scientifica.

Irrefragabiliter hoc probatur. Quia vna, & eadem cognitio fidei divinæ indivisibilis respectu Trinitatis non potest esse certa, & respectu Creationis Adam à Deo non potest esse dubitatoria,

toris, & erronea; licet Adam, creatio ipsius, & Trinitas sint obiecta maxime distantia: ergo in vna, eademque indivisibili cognitione non possunt collocari ratio erroris, & evidentie, salutatis, & certitudinis: ergo cognitio terminata ad ens confusa ipsa eadem indivisibiliter non potest terminari ad differentias entium, cum illa sit evidens, hæc falsa.

131 Ultimo respondet P. Rubius in *Logica*, & ut melius à difficultatibus se se expediat, asserit, duplicem esse præcisionem, aliam analogorum, univocorum aliam. Analogorum aut, esse cognitionem rei, alio modo ac est in se. Vt si rem, quæ in se habet modum expressum essendi, & clarum, consideres solum implicite, & confuse. Præcisionem vero rationis univocæ esse cognitionem quandam, per quam vnum cognoscitur sine alio, aut eo non cognito. Primam præcisionem vocat secundum quid; secundam autem vocat simpliciter; cum autem ens primo præscindatur, non erit simpliciter, sed secundum quid præcisum.

132 Sed contra primo. Nam falsum est dicere cognitionem confusam, & obscuram cuiuscunque rationis esse præcisionem, nisi sit cognitio confusa rationis communis, (hic enim loquimur de præcisione rationis superioris,) quia cognitio per fidem est obscura, & confusa, v. g. cognitio, per quam cognosco Deum trinum, & vnum. Et ratio manifesta est. Quia tunc cognitio confusa potest dici præcisio, quando habet definitionem præcisionis, quæ petit necessarii, ut vnum cognoscatur sine altero, sed cognitio confusa totius Trinitatis secundum suum, esse non cognoscitur ita ut non percipiatur aliquid pertinens in particulari ad Trinitatem, & ad divinitatem: ergo non est præcisio, & nihilominus essentialiter est cognitio confusa, & obscura: ergo omnis cognitio confusa non est præcisio.

133 Clarius hoc convincitur. Quia cognitio, quæ cognosco definitum in homine, v. g. quando cognosco hominem sub hoc conceptu cognosco confuse animal, & rationale; in quo distinguitur hæc cognitio à cognitione definitionis, v. g. quando cognosco hominem dicendo: est animal rationale; & nihilominus in illius sententia cognitio illa est præcisio animalis, & rationalis: ergo falsum est dicere cognitionem confusam esse præcisionis cognitionem; quia alias cognitio rei essentialiter constituta per aliqua prædicata essentialia, esset præcisio ab illis prædicatis essentialibus. Ex quo sequeretur illa prædicata essentialia esse essentialia, & non esse essentialia; quia præscinderetur ab illis, cum cognosceretur v. g. homo sine illis; & essent essentialia, ut supponimus.

134 Item falsum est dicere omnem cognitionem confusam rei, quæ ex se habet modum clarum essendi, esse cognitionem rei aliter ac est in se absolute; nam illa variatio non se habet, nec attribuitur à cognitione obiecto; Deus enim, qui omnia corporalia cognoscit spirituali modo; & quæ sunt finita cognoscit infinito modo, & successiva essentialiter, simul non dicitur cognoscere rem aliter ac est; alias falleretur in cognitione, & ad minus faceret ens rationis, quod absurdum est; quia infinita cognitio Dei propter suam perfectionem, & eminentiam, nec potest falli, nec cognoscere rem aliter ac est; Et licet spirituali modo cognoscat corporea, cum non attribuat illam spiritualitatem cognitionis ipsi obiecto,

sed tantum remaneat illa spiritualitas ex parte cognitionis, inde est quod non cognoscat rem aliter ac est. Quod aliter contingit in cognitione creata; Nam quando cognoscit Angelum ut iuvenem, Deum Patrem cum senectute, illa iuventus, & senectus, cum non sint ex parte cognitionis; ipsa enim cognitio nullam rationem senectutis, nec iuventutis habet, unde necessario tribuitur ab ipsa cognitione obiecto, & sic illa cognitio apprehendit quasi esset in obiecto; & in hoc consistit fallacia cognitionis creata; & ideo dicitur cognitio rei aliter ac est in se.

Quod etiam contingit in ipsa ratione præcisa 135 entis, nam dupliciter possum concipere ens: cognoscendo illud obiectum esse aptitudinem ad existendum realiter; Et licet hæc cognitio sit confusa individuorum, nihilominus non est cognitio rei aliter ac est in se, quia non attingit in obiecto aliquid, quod non est, sed solum, quod habet, alio modo potest esse cognitio entis, ut quando cognosco ens ut rationem superiorem, & hæc est cognitio rei aliter ac est in se, quia cognoscitur in ente superiori, quam in se non habet ens, & hæc est etiam falsa cognitio; quia non adequatur cum obiecto, & hæc de causa ab omnibus Theologis rejicitur à Deo. Ex quo sequitur evidenter contra Rubium non omnem cognitionem confusam esse rei aliter ac est in se, si talis confusio sistat in cognitione, &c. Secundo, quia falsum est discrimen assignatum ab hoc auctore inter analogam, & univocam præcisionem. Quia cognitio, quæ præscindo univocum ab inferioribus, etiam est confusa illorum cognitio; nam quando cognosco animal, cognosco individua animalis, quæ distinctum, & expressum modum habent essendi secundum proprias rationes, & differentias, confundendo illa sub vna ratione essendi viventis sensibilis, & hæc est propria, & simpliciter præcisio.

Clarius, v. g. quando præscindo hominem à 136 Petro, & Paulo, nihil aliud facio, nisi cognoscere illos, qui inter se distinguuntur, tanquam si essent vna entitas sub illa unica ratione hominis. Quod adeo verum est, ut nullus possit negare, hanc cognitionem, homo, esse cognitionem confusam inferiorum, quod satis supra contra Patrem Herize probatum est.

Item, quia sicut quando cognosco univocum 137 animal, cognosco omnia individua solum sub formalitate animalis, sine eo quod cognoscam differentias in particulari, & expressis; & ideo vocatur præcisio simpliciter. Ita quando cognosco ens ut sic & cognosco omnia entia, non cognosco in illis in particulari suas differentias, sed illas solum sub formalitate habendi esse, sine eo quod cognoscamus, an Angelus, vel formica, vel adamas sit; & sine mentione horum, unde cognoscitur vnum sine alio, id est, ratio communis habendi esse, sine differentijs Angeli, & formicæ.

Nec obstat, quod in animali cognoscitur vnum 138 absolute sine alio, in ente autem non cognoscitur vnum, non cognito alio; quia differentia entis non est alia formalitas, sed eadem ratio magis expressa entis; hoc autem non obstat; quia licet esset verum (quod nunc non disputo) saltem quoad expressum ens distinguitur à differentijs; & quoad expressum cognoscitur ens, & non cognoscuntur differentia expressæ, & ut tales sunt: ergo cognoscit vnum non cognito alio quoad expressum.

Sed

Sed dicunt adversarij, ideo non esse præcisionem simpliciter.

¹³⁹ Sed contra, quia sicut animal ex parte animalis cognoscitur sine differentijs, ita ens ex parte ipsius entis cognoscitur sine differentijs; quod sufficit ad præcisionem simpliciter ex parte rationis communis, licet ex parte differentiarum non sit simpliciter præcisio: nam ad simpliciter præcisionem ex parte unius sufficit, quod cognoscatur aliquid, in quo non includatur aliud essentialiter actu, vel expresse, vel confuse, v. g. animal ex parte animalis præscinditur à rationali simpliciter, quia cognoscitur animal non cognitum rationali, ex eo quod actu, nec confuse, nec expresse includebatur in animali: sed etiam ens cognoscitur sine inialitate, & perfectitate, quæ actu nec expresse, nec confuse includuntur in ente ut sic: ergo est simpliciter præcisio ex parte entis, quia ideo est præcisio simpliciter ex parte animalis, quia in animali ut sic, cum concipiatur tantum secundum essentialia, ubi actu differentia non includuntur nec expresse, nec confuse, cognoscitur absolute animal ex parte animalis sine differentijs, sed etiam ens quatenus cognoscitur à Metaphysica, cum concipiatur secundum essentialia, actu differentias non includit, nec expresse, nec confuse, unde, & cognoscitur ens necessario sine differentijs in ipso ente inclusis: ergo simpliciter præscinditur ex parte illius. Item, quia ex dictis à Patre Rubio colligitur non sibi constanter coherere; nam sequitur evidenter minime præscindi rationem analogam. Quia illud est præcisum, quod cognoscitur non cognitum alio à quo præscinditur tanquam inclusio in obiecto præcisio; sed cognitum ente in illo obiecto propter obiectum est illius cognitionis, includuntur, ut ait Pater Rubius, substantia, & accidens: ergo cognoscuntur illa ut inclusa ibi: ergo minime præscinditur illud obiectum ab illis v. g. nullus unquam dixit, hominem præscindere à substantia, ab animali, vel rationali, quia includuntur actu confuso in homine.

¹⁴⁰ Confirmatur, illud, quod est obiectum conceptus formalis entis, prædicatur essentialiter de omni ente tam creato, quam non creato, tam de accidente, quam substantia. Tunc sic: In hac prædicatione v. g. interrogo, quid prædicetur: Deus est ens; an prædicetur substantia, & accides simul?

Dicunt adversarij, prædicari hoc distinctum, substantia, vel accidens.

¹⁴¹ Sed contra, quia falsum est dicere, Deum esse indeterminate substantiam, vel accidens; quia eodem modo debet esse prædicationis, si est vera, ut est res à parte rei; sed à parte rei Deus non est indeterminate substantia, vel accidens, sed determinate substantia perfectissima: ergo est falsa prædicationis. Videte etiam latissime in Patre Suarez *disp. 2. Metaphysica, sect. 2.* alias solutiones oppugnatas, nobis enim nostra sufficiunt, ne authorum transcriptores iudicemur.

¹⁴² Sed respondent neotherici nunc, ut Pater Rubius, Albelda, quod licet in illa ratione superiori contineantur actu omnia inferiora, quando illa ratio superior superiora prædicatur de aliquo eorum, applicari illi secundum propriam illius naturam, ita ut quando enuncias: substantia est ens, solum applicetur ratio entis substantia, ut ipsi convenit, ita ut efficias hunc sensum: substantia est ens præcipuum, & primum, cui accidentia attribuuntur.

Sed contra: ergo illa prædicationis est definitio, nis de definito, ut est hæc: Homo est animal rationale. Probatur, quia hæc est definitio substantia, saltem descriptiva: substantia est primum, & nobilissimum ens, à quo dependent accidentia; sed hoc prædicatur, quando dicimus: substantia est ens: ergo prædicatur definitio de definito. Tunc sic: ergo est prædicationis non superioris de inferiori vilo modo, nec rationis secundum quid præcisæ, sed eiusdem de se ipso, quod est æqualis de æquali absolute. Hoc autem totum est contra ipsos autores; nam Pater Rubius asserit, ens esse rationem superiorem, non solum superioritate nominis, sed etiam rationis, quæ præscinditur secundum quid.

¹⁴³ Vtrumque sic patet. Quia definitio est idem, quod definitum, & definitum non est præcisum à definitione; quia adæquate definitum constituitur essentialiter definitione, vnde nec simpliciter, nec secundum quid præscinditur ab illa. Secundum sic convincitur. Quando prædicatur aliquid de aliquo, quod convertitur cum illo, prædicationis est æqualis de æquali, & non superioris de inferiori; sed primum, & nobilissimum ens, &c. quod prædicatur de substantia, convertitur cum illa, quia est verum dicere: substantia est primum, & nobilissimum ens, &c. primum, & nobilissimum ens, &c. est substantia: ergo est æqualis de æquali: ergo non superioris, nec secundum quid, quia illud, quod est adæquatum cum aliquo; id est æquale illi, non excedit, nec exceditur ab alio; quia æqualitas consistit in indivisibili adæquatione; alias, si superaret, vel superaretur aliquomodo, quod necessario requiratur ad superioritatem secundum quid, esset æquale, ut supponimus, & non esset æquale.

Dices, esse superius ens, quia quod prædicatur de substantia, potest applicari accidentibus secundum ipsorum naturam.

¹⁴⁴ Sed contra, quia in ente sunt duo: & ratio significata per nomen, & ipsum nomen entis: si ens sumatur secundum rationem significatam, non prædicatur de substantia, quod prædicatur de accidenti, sed aliud distinctissimum; nam quando prædicatur, substantia est ens, dicitur: substantia est primum, & nobilissimum ens; & quando prædicatur de accidenti, dicitur: est ens secundum, & per attributionem ad substantiam; sed primum, & nobilissimum ens, & ens habens attributionem ad illud, non sunt idem, sed distincta, imo aliquomodo habent oppositionem realiter: ergo non prædicatur idem de accidenti, ac de substantia: ergo secundum rationem significatam per nomen ens nulla datur superioritas; Tunc enim datur superioritas in prædicatione, quando idem secundum significatum prædicatur de multis; quia cum illa superioritas sit communitas, & non communitas nominis æquivoci, necessario debet esse communitas rei significatæ; sed quando aliquid non prædicatur de multis, non est commune, quia communitas est respectu multorum: ergo superioritas, quæ coniungitur cum communitate, petit quod sit in significato nominis; sed in prædicatione entis significati per nomen ens nulla datur communitas, sed primo diversitas per vos: ergo nulla datur superioritas nec secundum quid.

¹⁴⁵ Probatur absolute, quod sit falsa sententia adversariorum; quia distinctæ prædicationes sunt hæc: substantia est primum, & nobilissimum ens, ac

ac hæc : substantia est ens : ergo falsa est doctrina allentium esse eandem prædicationem. Antecedens sic patet. Quia illa sunt distincta, quæ separantur in aliquo : sed illæ prædicationes separantur, ita vt formalis prædicatione prædicetur ens, & non prædicetur primum ens, v. g. in hac : Primum, & nobilissimum ens est ens : sed in formalis prædicatione de primo ente non potest prædicari : Primum ens est primum ens, quia hæc prædicatio est identica, sicut Petrus est Petrus : ergo in formalis prædicatione separantur : ergo non sunt idem.

146 Declaratur amplius, Quia in hac prædicatione: Primus ens est ens, & in hac: secundum ens, quod dependet à primo, est ens; prædicatur de illis aliquid, in quo vere, & realiter conveniunt non solum quoad nomen, sed etiam quoad rem, & rationem; quia vt supra demonstravimus, vere, & proprie conveniunt hæc duo subiecta, accidens & substantia in habendo essentiam realem; essentia autem realis significatur per nomen ens, quod commune est accidenti, & substantia; sed non convenit accidens cum substantia in hoc quod sit primum ens, quia in hoc primo differunt; sicut Deus non convenit cum creatura in esse entis independentis, cum primo in hoc diversificatio, & idem non possit esse ratio formaliter conveniendi primo; & ratio formaliter differendi primo respectu eiusdem; sed in quo conveniunt; est in aliquo universaliori prædicato, nempe in habendo esse: Ex quo, & ex primacia entis constituitur substantia vt primum ens: vnde non est idem formaliter absolute adhuc in ipsa substantia, ens, & primum ens, imo primum ens, tanquam inferius entis consistat ex ratione superiori entis, & ex primatate illius: Et ideo hæc est vera prædicatione: Primum ens est ens: Et non est vera prædicatione æqualis de æquali; alias posset dari conversio, ens est primum ens, quod nullus huc vsque accepit; nec est inferiorior de superiori; alias esset indirecta prædicatione: ergo est superiorior de inferiori: ergo non sunt idem hæc prædicationes: substantia est ens: substantia est primum; & nobilissimum ens, quia vna est prædicatione de prædicato communi, in quo vere conveniunt accidens, & substantia; Et alia est de prædicato æquali; in quo primo differunt substantia, & accidens: sicut Deus, in quantum est primum independentis ens, primo differt à creatura; & in quantum est ens, primo convenit cum creatura, quia vere, & realiter creaturæ sunt entia, & vere, & realiter creatura non sunt entia independentia: ergo falsa est solutio.

147 Dices, prædicari quidem ens non abstracte co-
gnitum, sed restrictum per subiectum.

47 Sed contra, quia vel concipitur ens ut quid commune (quod intendimus), et vel clare concipiuntur substantia, et accipiens secundum proprias rationes? Sic autem, hæc prædicatio non est formalis: substantia est ens. Quia si substantium, et prædicatum eodem modo noscuntur, ens enim concipitur clare secundum quod est substantia, et quando de substantia prædicatur. Item substantia concipitur sub ratione substantiæ: ergo non est formalis, quia sic sonat: substantia est ens id est, substantiæ, est substantia.

148 Vergetur, quia per te in accidenti non concipitur ens vt distinctum à differentia; alioquin,
R. P. Ildeph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

posset abstrahens : ergo accidens eodem modo
concepitur, & sub ratione entis, & sub ratione ac-
cidentis

Nec verò iuvat, conceptum entis etiam concipi substantiam sub ratione substantiæ, & sic differt subiectum à prædicato. Non enim iuvat, quia cognitio elata de alio obiecto non facit propositionem formalem, nam si concipias clare sub ratione hominis Petrum, & Paulum, & nihil aliud, tunc prædicatio hominis de Petro non fit formalis per claram notitiam de Paulojnam cognitio de Paulo, in quantum Paulus est, quid interest prædicationi de Petro: ergo fit formalis prædicatio hominis de Petro; quia Petrus clare cognoscitur sub ratione Petri, & confuse sub ratione hominis; sub qua conveniunt Petrus, & Paulus.

SUBSECTIO VII

Amplius confirmantur dicta.

Vrgeretur ex illo principio sic ut cumque potentia correspondet proprius actualis, sed ratio obiectiva entis habet potentiam passivam ad abstractionem: ergo correspondere potest ei abstractio per conceptum formalem entis. Maior est certa Minor probatur. Potentia passiva ad abstractionem fundatur, vel est ipsa independentia virtutis rationis obiectiva ab alia; sed ratio obiectiva entis est independentis in suo essentiali a rationibus obiectivis Dei, & creaturae, substantiae, & accidentis: ergo ratio obiectiva entis habet abstractibilitatem passivam, seu potentiam ad abstractionem formalem entis. Maior est certissima. Quia distinctio actualis, & virtualis per intellectum nihil est aliud quam praecisio mentalis per conceptum representantem hoc, non representatio alio: ergo praescindibile, vel abstractibile nihil erit aliud quam isto modo distinguibile: ergo potentia ad abstractionem in conceptu obiectivo est ipsamet distinctio virtualis reddenda actualis per conceptum formalem entis. Porro huiusmodi distinctio virtualis in independentia fundatur huius rationis obiectivae ab alia; quia ideo est potens aliquid mentaliter representari separatim ab alio, quia in suo esse essentiali independentis est ab alio: ergo de primo ad ultimum tota abstractibilitas passiva obiecti in independentia, & distinctione virtuali consistit.

Minor satis conspicua est ex generali concep-
tu superioris, & ex particulari conceptu entis sic
omne superius in quantum tale, est independentis
in suo esse essentiali ab inferioribus, quia pri-
mum est; & superioritas adfert excellentiam in-
dependentiæ; sed ens est superius ad substan-
tiam, & accidens; Deum, & creaturam secu-
ndum ipsam rationem obiectivam significatam:
ergo ipsa obiectivatio independentis est, & vir-
tualiter distincta, quia etiam de conceptu su-
perioris est virtualis distinctio ab inferioribus.

Idem robustius patet ex ipso conceptu entis; 15
 Ens enim non includit essentialiter particulares
 rationes, & modos entium, vi supra late proba-
 vimus; sed essentialiter solum dicit realitatem
 secundum potentiam logicam, seu non repug-
 nantiam ad existendum; sed quiddam essentiali-
 ter non includit aliud, est independens ab illis, &
 distat

distinguitur virtualiter ab illo per ordinem ad conceptum entis; quo repræsentatur sine illo: ergo ratio obiectiva entis est independens, & distincta virtualiter à rationibus obiectivis substantiæ, & accidentis, Dei, & creaturæ. Cumque tota abstrahibilitas obiecti consistat in huiusmodi independentia, & distinctione virtuali, negari non potest rationi obiectivæ entis, potentia præcindibilitatis, & consequenter neque actu s, & extrinseca forma actualis præcisionis per conceptum mentis; est ergo ratio entis obiectiva simpliciter præcisa ab inferioribus.

152 Confirmatur. Quia per conceptum formalem mentis, neque Deus, neque creatura, neque accidens, neque substantia repræsentantur explicitè, & clarescunt partialibus modis, quibus differunt ad invicem; sed realitas entis, in qua omnia conveniunt, & confuse continentur; sed hæc est præcisio simpliciter illius rationis obiectivæ entis: ergo simpliciter præcinditur. Minor constat ex explicatione; Maior probatur. Quia substantia, & accidens, Deus, & creatura conveniunt intrinsece in ratione obiectiva entis in omnibus intrinsece reperta: ergo conceptus formalis entis explicitè repræsentat solum rationem communem obiectivam realitatis, in qua confuse, & potestative includantur inferiora. Consequentia probatur. Ratio obiectiva, in qua multa intrinsece conveniunt repræsentari potest explicitè per unum conceptum formalem non repræsentatis differentiis: ergo. Si enim per conceptum formalem repræsentantur substantia, & accidens, Deus, & creatura, quatenus conveniunt in intrinseca ratione realitatis, necesse est, quod immediate, & explicitè ista realitas significetur, in qua confuse hæc inferiora lateant.

Dices, non solum realitatem, sed etiam differentias actu cognosci, quia actu confuse includuntur in ente.

153 Sed contra, & vergetur. Quia illa solum confuse actu includuntur in aliquo, quæ etiam includuntur in definitione clara actualiter, v. g. in homine confuse includitur animal rationale actu, & ideo ex hoc colligitur quod in definitione clara illius continentur actu animal & rationale clare; sed in definitione clara entis ut sic clare non continentur inferiora entis actu, v. g. substantia, & accidens, Deus & creatura: ergo ens ut sic confuse actu non includit inferiora. Maior huius syllogismi evidens est, præcipue in metaphysica, ubi agitur de quidditatibus, & essentiis rerum, & sic quidquid in illa essentia metaphysica actu continetur per definitionem claram, actu potest explicari; & sic datur duplex definitio in homine, vna ut explicet compendiose per immediatam constitutivam, & hæc est animal rationale. Alia est ut explicet per rationem communissimam entis, & omnia prædicata inferiora expresse, & distincte posita, v. g. hoc est ens per se, corporeum, &c. usque ad rationale, ubi omnia actu contenta essentialiter in homine, expresse ponuntur in definitione.

154 Minor præcipui syllogismi sic probatur, quia hæc est definitio essentialis entis ut sic: ens est realis essentia primo omnium constitutiva rei: vel hæc ens reale est illud, quod est aptum ad existendum realiter. Quod autem hæc sint definitiones essentielles entis sic patet. Quia illa ratio entis, quæ non solum est in Deo, sed etiam in omnibus creaturis est quædam aptitudo logicæ

sumpta ad existendum; & ideo de quo prædicatur ens reale, prædicatur etiam aptitudo logica ad existendum realiter, vnde æqualiter se habent aptitudo ad existendum, & ens; quia tam late patet ens in prædicatione, ac aptitudo ad existendum, & convertuntur ad invicem est ens: ergo aptum existere realiter, est aptum existere: ergo ens, quia aptum existere opponitur immediate non enti, quia non ens, id est, nihil, non potest existere; sed non se habet unum respectu alterius; sicut passio, ut patet evidenter discurrenti: ergo se habet ut definitum, & definitio; ita ut aptitudo ad existendum realiter, sit definitio, quia clarius explicat quod confuse est ens; sed in tota hac definitione entis, non declaratur actu substantia, vel accidens: ergo actu non est confuse in ente substantia, & accidens.

SECTIO ULTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

155 Ad primum ex Aristotele respondetur, Philosophum loquutum fuisse de significatione mediata, & non de immediata. Mediate autem dicitur ens significare decem prædicamenta, quia significat conceptum præcisum simpliciter, & mediante illo inferiora, in quibus includitur; quia intellectus postquam cognovit ens simpliciter præcisum, potest illud concipere in ordine ad inferiora.

156 Ad secundum, distingo Maiorem: non potest præcindi, præcissione mutua, & adæquata, concedo Maiorem: præcissione non mutua, & inadæquata, nego Maiorem. Et ad probationem illius, distingo etiam Maiorem: non remanet in illo, à quo præcinditur, si præcindatur præcissione adæquata, & mutua, sicut animal præcinditur à rationali, concedo Maiorem; si præcindatur præcissione inadæquata, & non mutua, nego maiorem.

157 Præcisio adæquata, & non mutua nihil aliud est quam exclusio duorum conceptuum ad invicem, ita ut nec unus includatur in altero, neque e contra, ut in exemplo posito de animali; quod mutuo, & adæquate præcinditur à rationali, quia nec animal includitur in rationali; nec e contra, Præcisio autem inadæquata, & non mutua est, quando vna ratio non includit in suo conceptu aliam rationem; & sic potest concipi sine illa, licet e contra ipsa includatur in illa ratione, à qua præcinditur, ut animal includitur in homine, atque ideo non potest præcindi ab homine mutua, & adæquata præcissione, quia licet animal posset concipi sine homine, quod nullus contrariorum negat; homo autem non potest concipi sine animali; nec potest separari ab illo: Ita similiter se habet ens respectu perfectitatis, & inalieitatis, quia includitur essentialiter in illis, non tamen includit illas essentialiter; Et ideo potest concipi sine illis, licet perfectitas, & inalieitas non possint concipi sine ente; Et ut totum hoc semel capias.

158 Advertendum est, quid sit præcisio rationis, ad fugiendas æquivocationes, quæ fieri possunt in hac materia. Præcisio enim rationis nihil est aliud quam concipere convenientiam; & similitudinem plurium per unicum actum formalem repræsentantem solum expresse, & clare id in quo illa

illa conveniunt non representando rationes particulares, per quas differunt ipsæ res, v.g. præscindere ens, nihil aliud est, quam concipere expresse, & formaliter non repugnantiam ad existendum realiter, non conceptis rationibus particularibus substantiæ, & accidentis; quod poss. fieri, probaturum est, & hæc dicitur distinctio inadæquata, & includentis ab incluso.

159 Sed, (vt hoc optime advertit Hurtadus *disp. 2. Metaph. section. 3. subsect. 2. §. 42.*) hæc distinctio rationis includentis ab incluso, quæ datur inter ens, & eius inferiora, maxime differt à distinctio-
ne reali includentis ab incluso, in qua necessario debent dari duo extrema adæquate distincta distinctione excludentis ab excluso, v.g. Materia distinguitur ab homine distinctione includentis ab incluso, & à forma distinctione excludentis ab excluso. Et ratio est; quia distinctio realis dicit necessario realem negationem vnius extremi ab alio; distinctio autem rationis, præcipue quæ est mte præcisiva, nullo modo dicit negationem vnius extremi respectu alterius, sed tantum concipi vnum extremum non concepto alio.

Sed quæres primo, vtrum ens sic præcisum possit comparari cum perfectitate, & inalicitate.

160 Videtur quod non, quia omnis comparatio petit necessario distinctionem; sed tunc nulla datur distinctio in ente; ergo non possit comparari. Probatur Minor. Quia vt datur comparatio, debet concipi ex vna parte vnum extremum, & ex altera aliud. Tunc sic vnum extremum esset ens præcisum, & aliud esset perfectitas; sed intellectus in perfectitate necessario concipit ens; ergo vel concipit idem ens, quod est præcisum; & sic non dabitur comparatio, quia non datur distinctio. Vel concipit aliud ens distinctum à præcisio, quod est falsum; quia ens præcisum non transcendit; sed esset aliud, quod transenderet, & aliud, quod præscinderetur.

161 Respondetur, quod bene potest fieri talis comparatio, & quod datur sufficiens distinctio inter ens, & perfectitatem; quia perfectitas distinguitur ab ente saltem inadæquate, non tamen inde sequitur quod sit aliud ens, quod præscinditur, & aliud, quod includitur in perfectitate; sed idem sub diversis statibus; sicut idem est animal; in sententia omnium Doctorum, quod præscinditur ab homine, & quod includitur in illo. Comparatio autem non fit inter ens, & ipsum ens, sed inter ens, & perfectitatem.

162 Præterea; advertendum est, quod, vt constat ex *Logicis, disputatione 3. quæst. 7. conclus. 3.* quod universalitas non destruitur per contractionem; atque ideo intellectus potest concipere ens in substantia, & accidenti per modum vnius essentialiter inclusi in utroque, & sic non datur distinctio inter ens, quod præscinditur, & quod includitur in suis inferioribus.

163 Quæres secundo, vtrum ens quando comparatur ad substantiam, & accidens, maneat præcisum ab illis?

164 Respondetur, quod duplex potest esse comparatio: Prima est, qua ens concipitur expresse in substantia, & accidenti, & tunc non manet præcisum, sed ex vi ipsius comparationis contrahitur ad illas. Et ratio est evidens. Quia tunc aliquis conceptus contrahitur quando concipitur expresse in inferioribus; sed ex eo quod ens comparatur cum substantia, & accidenti, modo dicto, cognoscitur expresse in illis; ergo contrahitur; sicut ex eo
R. P. Alph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

quod animal cognoscatur expresse in homine, & equo, contrahitur ad illos. Secunda autem comparatio potest esse quatenus intellectus non concipit expresse ens in perfectitate, & inalicitate; sed tantum expresse ipsas perfectitates, & inalicitatem, & tunc intellectus concipit ens per modum superioris ordinando illud ad inferiora, & tunc non contrahit ens; sed tantum concipit illud vt contrahibile.

Ad primam confirmationem, distinguo Maiorem: ens non potest præscindi ab ente; ens commune, & expresse, non potest præscindi ab ente particulari, & confuso, & quod expresse sit perfectitas, vel inalicitas nego Maiorem; ab ente commune, & expresse concedo Maiorem. Et distinguo Minorem: Sed modi sunt formaliter ens, particulare, & confusum concedo Minorem, commune, & expresse nego Minorem; sunt enim expresse perfectitas, & inalicitas.

Ad secundam confirmationem, distinguo Maiorem: Implicat præscindi, &c. si maneat coniunctum adæquate, & mutuo, nego Maiorem. Et eodem modo distinguo Minorem: sed ens secundum rationem manet coniunctum, &c. adæquate, & mutuo, nego Minorem; inadæquate, & non mutuo, concedo Minorem. Et ad probationem Maioris concedo Maiorem; Et distinguo eodem modo Minorem: manet adæquate, & mutuo coniunctum; nego Minorem; inadæquate, & non mutuo concedo Minorem. Et distinguo consequens: ergo implicat separari, &c. adæquate, & mutuo concedo consequentiam; inadæquate, & non mutuo nego consequentiam.

Explico solutionem. Aliquid dupliciter ab alio separatur: adæquate, vel inadæquate. Adæquate vnum separatur ab alio quando extrema ita se habent, vt nec vnum includatur in alio, nec e contra, & hoc modo separatur animal à rationali.

Inadæquate autem vnum separatur ab alio quando vnum includitur in alio, non verò e contra; & ita separatur animal ab homine, quia licet homo includat animal; nihilominus animal non includit hominem in suo conceptu, & sic licet animal possit separari ab homine, homo tamen non potest separari ab animali.

Exemplum autem, quod affertur: quod ideo animal realiter non potest separari à rationali, quia manet realiter coniunctum cum illo, non valet; quia ideo non potest separari realiter ab illo, quia manet coniunctum adæquate, quia adæquate identificatur cum illo. Quod patet evidenter. Quia quando aliquid non identificatur adæquate cum alio realiter, potest esse realiter coniunctum cum illo, & inclusum in illo substantia-
liter, & separari ab illo realiter, v.g. si Deus poneret materiam primam Petri, qui est Limæ, Romæ sine illius anima, quod fieri posse probabile est in Physicis, tunc materia prima Petri esset coniuncta cum Petro Limæ, & inclusa substantia-
liter in illo; sed Romæ esset separata ab illo realiter, quia realiter Romæ non esset Petrus. Et corpus Christi Domini realiter includitur in Sacramento Eucharistiæ, & est coniunctum cum illo in altari, & in Cælo est separatum realiter à Sacramento Eucharistiæ.

Et hoc non solum fit supernaturaliter, sed etiam naturaliter in animo rationali, qui includitur essentialiter, & realiter in brachio, & est coniunctus cum illo; sed in capite est idem ani-
X x mus

mus rationalis separatus à brachio realiter : ergo idem realiter potest esse coniunctum cum aliquo, & separatum ab illo realiter simul sine distinctione sui ipsius, quia non adæquate identificatur cum illo ; sed ens non adæquate identificatur per rationem cum perfectitate : ergo potest per rationem esse coniunctum cum perfectitate, & separatum ab illa, & tunc ens est quasi in duplici loco, & in duplici statu, scilicet præcisionis, & contractionis ; & sicut animus rationalis separatus à brachio non distinguitur realiter à seipso incluso essentialiter in brachio ; Ita similiter ens præcisiuum non distinguitur per rationem à seipso incluso in perfectitate, Si vero ens præcisiuum sumatur re-duplicative pro ut præcisiuum, necessario distinguitur à se ipso pro ut contracto, & incluso in perfectitate ; sicut animus rationalis separatus à brachio, distinguitur à se ipso pro ut incluso in brachio.

171 Ad tertiam confirmationem, distingo Maiorem : importans rationem abstractam simpliciter adæquate, & mutuo, concedo maiorem ; inadæquate, & non mutuo, nego maiorem. Et concedo minorem, & distingue consequens : ergo ens non est simpliciter præcisiuum, adæquate, & mutuo, concede consequentiam ; inadæquate, & non mutuo nega consequentiam. Et constat ex dictis.

172 Ad Tertium principale distingo maiorem : sequeretur processus in infinitum, in conceptibus obiectivis nega maiorem ; in conceptibus formalibus, transeat maior. Tunc autem sequeretur processus in infinitum in conceptibus obiectivis, quando intellectus præcinderet distinctam rationem obiectivam per distinctos actus. Quod nõ ita contingit in præcissione entis ; nam per primam, secundam & tertiam præcisionem concipitur idem ens, ut constat ex dictis. In conceptibus autem formalibus dicitur dari processus in infinitum, quia possunt dari infiniti conceptus formales, qui repræsentent idem ens, quod non est absurdum.

173 Ad quartum, distingo maiorem : conceptus simpliciter præcindibilis mutuo, concedo maiorem ; præcindibilis non mutuo, nega maiorem. Et de hoc redibit quæstio infra.

Advertendum est ante solutionem quinti argumenti, quod difficile visum est pluribus, distinctionem præcisiivam posse cadere supra entitates realiter, & formaliter distinctas, vel supra entitates virtualiter tantum distinctas. Quæ distinctio præcisiiva nihil est aliud quam cognitio unius non cognito alio, & sic possum cognoscere Petrum, non cognitis Ioanne, & Paulo, vel alijs individuis realiter distinctis : vel possum cognoscere animal non cognito rationali, à quo non distinguitur realiter formaliter.

175 Hanc distinctionem præcisiivam vocat Hurtadus distinctionem rationis *disputatione 11. metaphysica, sect. 3. §. 48.*

176 Sed non recte meo videri. Tum, quia ipse Hurtadus *disput. 5. metaphysica section. 7.* cum dicat universale fieri per hanc cognitionem, & distinctionem præcisiivam, §. 77. asserit, non esse ens rationis, quod etiam affirmat Eximius noster Doctor 1. *tomo metaphysica, disputation. 6. sect. 6. num. 8.* Et clarius *section. 7. num. 2.* Vbi asserit, universale absolutum esse ens reale, & fieri per cognitionem præcisiivam, per quam solum habet denominationem extrinsecam realem : ergo per cogni-

tionem præcisiivam, qua unum cognoscitur sine alio, nihil fingitur : ergo non datur ens rationis per illam.

Et si infes, quod ibi intellectus distinguit id, 177 quod non est distinctum ; sed distinguere id, quod non est distinctum, est fingere distinctionem : ergo intellectus fingit distinctionem ; sed fingere distinctionem, est facere ens rationis : ergo intellectus tunc facit ens rationis : ergo illa distinctio præcisiiva est ens rationis.

Respondetur, distinguendo Maiorem, distinguit in actu exercito concedo maiorem : distinguit in actu signato nego maiorem. Et sic non facit intellectus tunc ens rationis, quia ut faciat ens rationis, quod sit distinctio, debet concipere intellectus in re, quam distinguit ab alia, negationem intrinsece illius, à quo distinguitur, ut quando in animali, v. g. intrinsece cognoscit negationem rationalitatis, tunc fingit illam negationem, quia habet illam pro obiecto, & ponit illam intrinsece in animali, in quo non datur talis negatio.

Distinctio autem in actu exercito nihil aliud 178 est quam conceptio inadæquata alicuius rei, quatenus non concipitur secundum omne illud, quod habet in se ; in qua cognitione nulla datur falsitas, fictio, nec deceptio ; quia talis cognitio conformatur cum suo obiecto, ut quando intellectus in homine concipit animal non concipiendo rationale, concipit rem ut est in se, quia homo in se est animal. Et etiam si tunc prædicaretur animal de homine, prædicatio esset verissima, ut hæc : homo est animal : ergo ex eo quod concipiat unum obiectum, non cognito alio, nihil fingit intellectus.

Dicitur autem illa distinctio rationis : Primo, 180 quia est ab intellectu, qui est ratio. Secundo, quia est fundamentum proximum ad ens rationis, scilicet ad illam negationem, quam postea fingit intellectus.

Et si iterum infes : ergo bene poterit Deus facere hanc distinctionem rationis. Patet consequentia, solum repugnat divino intellectui effectio entis rationis ; sed hæc distinctio non est ens rationis : ergo non repugnat fieri à divino intellectu.

Respondetur, negando primam consequentiam. Et ad illius probationem nega maiorem ; Quia etiam repugnat divino intellectui concipere rem inadæquate, quia Deus propter infinitatem suæ cognitionis petit comprehendere omnem re, quam cognoscit ; cum autem distinctio præcisiiva petat cognitionem inadæquatam sit ut repugnet Deo ; sit igitur distinctionem præcisiivam non esse ens rationis, & posse cadere supra entitates, tam realiter formaliter distinctas, quam virtualiter tantum distinctas, quo posito.

Respondetur quinto argumento negando antecedens, & ad probationem illius distingo maiorem quantum ad primam partem : vel sapientia ut sic distinguitur realiter à iustitia ut sic, & à subiecto, vel quasi subiecto illius, distinguitur distinctione reali præcisiiva, concede maiorem, distinctione reali negativa, nega maiorem. Et sic omnis iustitia distinguitur ab omni sapientia, & etiam ab omni subiecto, vel quasi subiecto distinctione reali præcisiiva ; hoc autem nihil aliud est quam quod realiter cognoscatur iustitia, ut sic non cognita realiter misericordia ut sic, quia cognitio realis, quæ attingit iustitiam ut sic, non attingit

attingit realiter misericordiam; quia autem cognitio iustitiæ cognoscit illam non cognita misericordia, dicitur præcisio, aut distinctio præcisiva, sed non dicitur distinctio negativa, quia realiter, cum veritate non potest negari misericordia ut sic de iustitia ut sic, dicendo: misericordia realiter non est iustitia; sed cum hac diversitate, quod sapientia divina contrahit sapientiam ut sic per identitatem realem formalem cum iustitia divina, & cum ipso Deo, qui est subiectum, vel quasi subiectum illius; sapientia autem creata contrahit rationem sapientiae ut sic, non solum præcisiva, sed etiam negativa; quia distinguitur à iustitia creata, & à subiecto illius realiter formaliter.

84 Et si hoc argumentum aliquid probaret, etiam probaret quod inter res creatas non posset dari præcisio inter conceptus; qui univoce conveniunt. Quod ita probò manifeste. Scientia ut sic creata comparata cum qualitate spirituali ut sic: vel illa scientia ut sic distinguitur à qualitate spirituali ut sic, distinctio reali? Et hoc non. Quia omnis ratio scientiæ distingueretur realiter ab omni ratione qualitatis spiritualis; quod est falsum, quia actus intellectus scientificus est idem realiter cum qualitate spirituali: ergo non omnis actus scientificus distingueretur realiter ab omni qualitate spirituali.

85 Vel scientia ut sic creata distinguitur solum per rationem à qualitate ut sic spirituali? Et hoc etiam non; quia actus intellectus scientificus non distingueretur realiter, sed solum per rationem ab actu voluntatis, qui est qualitas spiritualis; vel actus scientificus ut sic distinguitur à qualitate spirituali ut sic, utraque distinctio reali, & rationis. Et hoc etiam non; quia actus intellectus scientificus distingueretur ab actu voluntatis utraque distinctio reali, & rationis; quod est absurdum.

86 Vel actus scientificus ut sic distinguitur à qualitate spirituali ut sic distinctio præcisiva reali, & rationis; quod est absurdum; quia non potest præcindi talis ratio distinctionis. Quid igitur adversarij respondebunt huic argumento? Certe, ut bene respondeant, respondere debent id, quod nos respondimus suo argumento. Et ut hoc argumentum urgeat etiam contra Scotum, qui illo intendit probare distinctionem ex natura rei inter attributa divina.

87 Advertendum est, quod in sententia Scoti, actus liber divinus non distinguitur ex natura rei ab actu necessario divino. Tunc sic argumentor: actus liber ut sic potest præcindi in sententia Scoti ab actu creato, & ab actu divino libero; & etiam actus necessarius ut sic. Vel actus necessarius ut sic distinguitur ab actu libero ut sic realiter? Et hoc non; quia actus liber divinus distingueretur realiter ab actu necessario divino? Quod negant Scotistæ. Vel actus liber ut sic distinguitur solum per rationem ab actu necessario ut sic; & per consequens actus liber divinus solum per rationem distingueretur ab actu creato necessario; Et ita applicetur totum argumentum præcedens, quod eodem modo solvendum est, ut à nobis solum est quintum argumentum.

88 Secundo Respondeo ad argumentum Scoti: in iustitiâ ut sic substracto nullam dari distinctionem respectu misericordiæ, neque realem, neque rationis, neque præscindentem à reali, & rationis, solum enim in tali substracto datur perfectio,

& essentia iustitiæ præscindendo à distinctione omni; quia illud datur in substracto rationis communis ut sic, quod abstrahitur à particularibus, & prædicatur de illis, sed dum abstrahitur iustitia ut sic à iustitia creata, & increata solum abstrahitur id, in quo conveniunt tales iustitiæ, sed non conveniunt in distinctione respectu misericordiæ, & solum conveniunt in perfectione iustitiæ: ergo solum abstrahitur ab illis perfectio essentialis iustitiæ. Minor illa sic probatur; quia in iustitia creata respectu misericordiæ creata datur distinctio realis, & non rationis; in iustitia increata respectu misericordiæ increata solum datur distinctio rationis, & non realis, ita ut in una detur distinctio, quæ non datur in alia: ergo neque ab illis simul potest abstrahi distinctio reali, neque distinctio rationis, quia in nulla ex illis simul conveniunt. Item non potest abstrahi distinctio ut sic præscindens à distinctione reali, & distinctio rationis; quia ut in Logica demonstravimus ab ente reali, & ab ente rationis nihil præscinditur commune: ergo à iustitia creata, & increata non præscinditur ratio distinctionis respectu misericordiæ, sed solum perfectio iustitiæ, unde in substracto iustitiæ ut sic nulla distinctio datur, quæ abstrahatur ab inferioribus; ac proinde quæ possit prædicari de illis; quia id solum prædicatur de aliquibus, quod præscinditur ab ab illis. Verum est quod intellectus, comparando iustitiam ut sic cum misericordia ut sic tribuat illi distinctionem rationis, quam in se non habebat tale substractum, quia distinctio non prædicatur de inferioribus, quia est secunda intentio conveniens iustitiæ ut sic ratione talis status, ut videre est in secunda intentione generalitatis, & speciei, quæ licet conveniant animali, & homini, non prædicantur de inferioribus; propter rationem dictam.

Ad sextum, respondetur negando antecedens. 182 Et ad illius probationem, distingue maiorem: concipitur tota ratio entis, præcisive ut ratio entis est, concede maiorem, ut est talis ratio entis, & expresse per se nega maiorem. Et distingue minorem: sed tota ratio entis dicit per se nega, & inalicitem, tota ratio entis præcisive ut ens est, nega minorem, tota ratio entis tam communis, quam particularis, per quam conveniunt, & differunt formaliter inferiora, concede minorem. Sed intellectus solum præcindit id, in quo conveniunt formaliter inferiora, non autem id, per quod differunt; atque ideo abstrahet totam rationem entis, quæ est per modum convenientiæ, non autem illam, quæ est per modum differentiae, ut probatum est; quia solum illud concipitur, ut probatum est; quod essentialiter includit ens ut ens est; cum autem ens ut ens non includat essentialiter inferiora, fit inde ut non concipiantur inferiora.

Ad septimum, nega antecedens, & ad illius probationem distingue antecedens: ille conceptus non esset ad aliud, negative nega antecedens; præcisive concede antecedens, & nega consequentiam. Et ad probationem illius distingue maiorem: omne illud, quod non est ad aliud, est absolutum; quod non est ad aliud negative, concede maiorem; præcisive nega maiorem (vel ut alij loquuntur, permissive, vel privative.) Et exemplum est manifestum in animali, in quo non valet argumentum: animal ut sic non est rationale: ergo est irrationale; sed de hoc dixi plura supra.

X Et

Et eodem modo respondetur ad plura alia argumenta, quæ possunt fieri in hac materia; scilicet, utrum ille conceptus ut sic sit finitus, vel infinitus, per se, vel in alio, à se, vel ab alio: Quibus omnibus respondetur, non esse unum, nec alterum, sed præscindere ab utroque.

Octavum, & nonum argumentum petunt alias duas quæstiones.

QVÆSTIO VI.

Utrum detur unus conceptus formalis præcisus entis?

SECTIO I.

Placita adversariorum proponuntur.

PRIMA sententia asserit, nullum dari conceptum entis formalem, qui unus sit & terminetur ad ens quatenus ens; unde negat simpliciter dari unum conceptum formalem entis præcisum. Hanc sententiam confuse, & obscure defendit Caietanus *opusculo de analogia nominum*, cap. 4. & 6. Caietanum sequitur Ferrata *contra Gentem*, cap. 34. Eandem sententiam sequitur Pater Fonseca *libro 4. Metaphysica*, cap. 2. q. 2. sect. 3. Ad cuius explicationem dividit conceptum formalem entis in omnino distinctum, omnino confusum; & partim distinctum, partim confusum. Primum vocat eum, qui determinate, & expresse repræsentaret omnes entitates simplices, seu non compositas ex natura communi, & differentia contrahenti, & hunc asserit, nec dari posse in creaturis, cum solus Deus hæc omnia determinate, & expresse intelligere possit. Alterum vocat eum, qui omnes eiusmodi entitates simplices repræsentaret confuse, & indeterminate; quem dicit conceptum quid nominis à quibusdam, testatur, ob imperfectionem.

2. Tertium vocat eum, qui unam simplicem naturam expresse, & determinate repræsentat, ceteras vero implicite, & indeterminate; sic se habet conceptus formalis substantiæ generis summi, qui substantiam expresse, & determinate repræsentat; quantitatem vero, & ceteras naturas implicite, & indeterminate, quatenus omnes cum substantia proportionem quadam conveniunt; eodem modo posse secari conceptum obiectivum.

3. Tertio addit, quemlibet conceptum duobus modis posse dici unum, nempe aut ratione, aut re. Huius exemplum sit conceptus omnium hominum ut homines sunt; qui unus re, & ratione est, nam est una numero qualitas, & eodem prorsus modo repræsentat naturam humanam, quæ multiplicata est in individuis. Primi exemplum sit eadem natura humana, qui obiectivus conceptus est ratione duntaxat unus, cum in diversis sit, diversa numero substantia.

4. Demum animadvertit, duobus item modis, quemlibet conceptum dici posse præcisum ab alijs, uno re, altero ratione. Præcisum re, qui est re ipsa præcisus ab ijs, à quibus dicitur præcisus, qualis est conceptus formalis, quo concipitur homo ut communis respectu eorum, quibus Socratem concipimus, & Platonem. Præcisum vero ra-

tione nominat eum, in cuius ratione nihil includitur eorum, quæ sunt propria conceptibus, à quibus præcisus est: Quo pacto se habet uterque conceptus hominis communis à particularibus; nam neque in repræsentatione conceptus formalis, quo concipimus hominem communem; includitur repræsentatio cuiusquam particularis entitatis; nec enim in quidditate ipsius hominis communis includitur quicquam proprium alicui particulari.

Sectio vero quinta ex his fundamentis asserit primo, conceptum formalem entis posse non solum esse unum re, sed etiam præcisum ab omnibus conceptibus formalibus membrorum dividendium. Asserit secundo, dictum conceptum formalem entis nec esse unum ratione, nec item præcisum ratione ab omnibus conceptibus formalibus membrorum dividendium. Asserit tertio, illum conceptum formalem entis, qui est omnino confusus, etsi possit dici simpliciter præcisus ab omnibus formalibus membrorum dividendium, non posse tamen simpliciter dici unum conceptum, nisi eo modo, quo nomen vocale æquivocum simpliciter, & sine adiectione dicitur unum nomen; quibus pronuntiatis alia tria *sextione quarta* præmisit eorum; primum, conceptum obiectivum necesse unum re, nec præcisum re ab omnibus obiectivis membrorum dividendium. Secundum, talem obiectivum conceptum esse unum ratione tantum secundum quid. Tertium dictum conceptum esse præcisum ratione ab omnibus membrorum dividendium, etiam secundum quid tantum; Idque putat apertum, loquendo de conceptu omnino distincto, & de partim distincto, & partim confuso.

Aliter *Mañus libro primo de ente*, cap. 34. explicat hanc sententiam; duo asserendo. Primum, dari unum conceptum formalem præcisum, avulsum, & secundum rem distinctum à conceptu Dei, & creaturæ substantiæ, & accidentis. Secundum, talem conceptum entis præcisum, & avulsum non esse perfectum, sed imperfectum. Videtur autem vocare conceptum perfectum totam suorum inferiorum entitatem, repræsentantem; Imperfectum vero non totam entitatem repræsentantem. Rationes pro hac prima assertionem sunt quæ communiter pro nostra sententia adducuntur à Doctoribus.

Secundum vero assertum sic probat, adnotando conceptum formalem entis communem substantiæ, & accidentibus tantum repræsentare ea, in quibus illa differunt. Unde colligit futurum necessarium imperfectum. Rationes ecce, Quæ sunt unum secundum proportionem, non sunt unum simpliciter, sed multa simpliciter habentia tamen unam, & eandem habitudinem, sed ens est analogum secundum proportionem: ergo illius conceptus includit multa, scilicet substantiam, & accidentia, Deum, & creaturas ut sunt unum secundum proportionem. Deinde, si conceptus entis perfectus esset præcisus à conceptibus substantiæ, & accidentium, sequeretur, quod nihil collocaretur in definitione accidentis ea ratione, quæ est ens, quod non collocaretur in definitione substantiæ, quia quod competit accidenti ut ens est, (si illud habuerit unum aliquem conceptum præcisum) debet quoque convenire substantiæ; atqui hoc est falsum omnino, quia in definitione accidentis, ut ens est, continetur substantia, auctore Philosopho 7. *Metaphysica*, in definitione vero substantiæ